6
11
5

6
8
12

PII II. P. M.

OLIM

AENEAE SYLVII PICCOLOMINEI

SENENSIS

ORATIONES

POLITICAE, ET ECCLESIASTICAE.

Quarum multas ex MSS. Codd. nunc primum eruit; reliquas hinc inde dispersas collegit, & ad MSS. Codd. recensuit,

ARGUMENTIS, ET ADNOTATIONIBUS EXORNAVIT,

ATQUE

APPENDICE ALIARUM LUCUBRATIONUM INEDITARUM AUXIT

JOANNES DOMINICUS MANSI

Cleric. Regul. Congr. Matris Dei Lucensis.

PARS II.

Orationes habitas in Pontificatu continens.

LUCAE MDCCLVII.

EX TYPOGRAPHIA PHILIPPI MARIAE BENEDINI

SUPERIORUM PERMISSU.


Monasterii
S. Michae-
lis de Muria-
no Venetiar:
ad usum D.
Angeli Ca-
logierà Ab-
batis Bene-
dictino-Ca-
maldulensis.

INDEX ORATIONUM,

Quae in hac Secunda Parte continentur.

RESPONSIO.

RESPONSIO.

ORATIO VI.

ORATIO VII.

ORATIO VIII.

ORATIO IX.

RESPONSUM

RESPONSIO.

ORA-

ORATIO X.

RESPONSIO.

VI-

VIDIT

Jacobus Antonius Bacci.

Imprimatur.

VINCENTIUS FRANCISCUS PRIOR TORRE PRO VIC. GEN.

FRANCISCUS MARIA FIORENTINI ILLUST. OFF. SUPER JURISD. PRAEPOSITUS.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ORATIO I.

De Rosa aurea Pontificia; habita Senis anno 1459. a Pio II. ibi agente.

VEtus majorum nostrorum consuetudo fuit, ad haec usque tempora diligenter observata, in ea solemnitate quam hodie repraesentamus, Rosam auream inter celebrandum ei ex circumstantibus dono dare, qui cum nobilitate ac virtute *praestaret*, tum fide, studio ac devotione erga Romanam Ecclesiam caeteros anteiret. Nam sicut rosa ipsa ex auro purissimo, quod metallis omnibus anteponitur, composita est, & pro forma ejus eximia cunctis praefertur floribus; ita & eum inter alios mortales excellere oportet, qui hoc dono dignus ducitur. Sequi nos veterum vestigia convenit, quos recte vivendi duces fuisse non est ambiguum. Parere igitur hodie inveteratis moribus placet; sed circumspicientes astantem coronam non sumimus hoc judicium, ut unum aliquem caeteris praeferamus. Cernimus hinc atque inde Legatos Regum, & Principum, & populorum de Romana Ecclesia, de fide Catholica, de Religione Christiana optime meritorum, nec facile alterum alteri proposuerimus. Sed cum simus hodie in alma Urbe Senensi, in dulcissima Patria nostra, in solo natali ex quo carnem atque ossa suscepimus; in civitate nobili & Apostolicae Sedis amantissima; haud ab re ar-

Ex Lucensi Cod.

Edidit Hieron. Gigli in Diar. Senen. sed ex Mendoso Codice, ex quo variantes dantur.

Ed. pietate tum fide

bitrati sumus pium ac religiosum populum hoc munere exornare, qui etsi non excellit alios, ut aurum metalla reliqua, & rosa flores universos; in eo tamen rosae comparari potest, quia sicut rosa ex arbusto gignitur, neque humi jacet in *herba*, sed media inter ima sedet & altera; ita Respublica Senensis inter alios Italiae Potentatus mediocritatem quamdam obtinet. Sunt enim qui praecedunt & qui sequuntur. Caeterum circa bonos mores, fidem, religionem, pietatem, caeterasque bonas artes nulli omnino cedit. Quibus ex rebus & splendorem auri, & *bene olentem* rosae odorem non inconcinne ei *approprire* licet.

Al. herba, neque sublimi pendet ex arbore, sed

Al. benevolentem appropinquare

Quae sit vero nobilitas hujus Urbis, quae praestantia, quae gloria licet paucis commemorare, ut intelligant omnes, donandam huic populo rosam, non earnem nobis aut sanguinem revelasse, sed ipsam prorsus *rat oni* persuasisse. Urbis splendorem, aedificiorum magnificentiam, nobilissimas aedes, ornatissima templa ipsi cernitis, & hoc praesertim gloriosae Virgini dedicatum, cui non facile aliud tota Europa praeferatur.

rationem.

Populi hujus origo ex Romanis & Gallis mixta refertur; parentes esse Romanos Lupae insigne & gemelli testantur infantes; Gallicam progeniem nomen indicat Urbis. Fama est, fugatis a Camillo Gallis Senonibus, qui Romam incenderant, hoc loco nonnullas exercitus utriusque reliquias consedisse, & ab his Senam *contendit*. Multae huic Urbi a vicinis populis insidiae paratae, multae illatae molestiae; nunquam tamen ab his subjici potuit. Defendit se modo suis armis, modo imploratis auxiliis *hostis* repulit; *nonnunquam tamen* divino magis auxilio, quam humana ope suam libertatem tutata est. Ob quam rem publico chirographo B. Mariae Matri Domini sese tradidit, atque hinc civitas Virginis appellata.

conditam,

hostis nunquam. *Dei* tamen

Fuerunt hic, & hodie sunt complures, nobilium familiae, ingenuis moribus & singularibus virtutibus praepollentes, a quibus altae, quas cernitis, turres erectae, & antiqua constructa palatia sunt. Claruerunt & in armis, & in literis non pauci *Senenses*; *duces* copiarum insignes

Senenses duces

signes prior aetas plures novit, inter quos *Silvanus* ille qui Montis Aperti victoriam aperuit [1] clarus *est habitus*. *Nostra memoria* Petrinus *Salimbernius* [2], Nannes Piccolominus, Antonius Rufaldus (3) illustre nomen *habuere*. *In scientia juris* clara est fama Friderici [4], cujus consilia multi sequuntur; Joannes *Paglarensis* [5] omne corpus juris memoriae condidisse creditus est; fuit & Richardus Petronius (6) Cardinalis magni nominis, cui curam condendi sexti decretalium libri Sancta Sedes Apostolica demandavit. In medicinis omnium princeps suae aetatis habitus est Ugo Bentius [7]. Sunt & hodie complures qui & civilem sapientiam, & arcana philosophorum & *prophetarum* & oratorum literas non aliter callent, quam si conditores ipsi earum scientiarum fuissent. Nomina praetermittimus ne generemus invidiam. In arte pictoria Simonetum Senensem (8), Jotho Florentino non inferiorem fuisse *tradunt*. *Sculpere atque aera ducere & in materia musaicum repraesentare Senensium industriae proprium fuit*. Mortalia haec atque caduca; illud vero stabile atque immortale quod plurimi Senenses assecuti sunt cultu religionis & integritate vitae. Petrum Pectinarium (9) insigni sanctitate cognovit antiquitas, qui cum pectines venales exponeret, uno verbo pretium dixit; exin digito labra conclusit. Catherina, excellens mulier, Papae in Avinione moranti Romam repetere suasit, & sola sanctitatis opinione Pontificem movit. Bernardinum multi ex vobis novere, quem veluti Paulum Apostolum aut Angelum Coelo missum frequentes populi praedicantem audivere. Sed omnium qui ex hac Urbe claruerunt, famam ac gloriam superavit Alexander cognomento Tertius, qui quamvis in Schismate Romanae Sedis gubernacula suscepisset, & ab Imperatore potentissimo vexaretur, e Roma ejectus, per Italiam ac Galliam mendicare auxilia cogeretur; victor tamen propositi & Ecclesiam ad unitatem reduxit, & ferocientem hostem terra marique victum petere veniam compulit, & adjutores Venetos singularibus privilegiis honestavit. Utinam *parem* nobis divina pietas

Salvanus habitus nostra memoria. Petrinus Salimbenius habuere in scientia juris. Clara Pagliarensis

poetarum

Deest.

pacem

tas adversus Turcos, pro tutela Christiani nominis felicitatem impertiatur, ut & nos quoque ad laudem *patriae* tandem aliquid adjiciamus. Vestrae igitur civitati, viri Senenses, de Romana Ecclesia optime meriti, tot claris illustratae viris, tot ornamentis cumulatae, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio & assensu, hanc Rosam auream veluti pignus nostrae caritatis, & probitatis vestrae testimonium condonamus. Ite ergo, & progenitorum vestrorum vestigiis inhaerentes pietatem colite, religionem extollite, Romanam Ecclesiam honorate. In omnes beneficentiam & justitiam exercete, ut quemadmodum majorum vestrorum bonis artibus clara est Senensis civitas; ita ex vestris gloriosis actibus illustretur.

primae

NOTAE

In superiorem Orationem.

1. Silvanus ille, qui Montis Aperti victoriam aperuit. *De Provinsano Salvano (ità enim scribendum) Ghibellinae partis inter Senenses Principe rerum Senensium Historicus nullus non loquitur. An.* 1260. *insignem victoriam de Florentinis reportavit, commissa pugna ad Montem Apertum, quatuor vel quinque millibus passuum ab Urbe Sena distans Oppidum. De hoc videndi Ugurgierius* Le Pompe Sanesi Tom. 2. pag. 55., &c. *Malavolti* Istor. Senese lib. 1. part. 2. pag. 15.
2. Petrinus Salimbernius *nomine Petrini Senensis in Historia notus; exercitus Sfortiae e Cotignola ductavit. Vixit Martini V. Summi Pontificis aetate. De eo quaedam Ugurgierius* Le Pompe Sanesi Tom. 2. pag. 179.
3. Antonius Rufaldus *e Senensi nobili Familia ortus sub Antonelli nomine militarium rerum gestarum gloria clarus fuit. Fratrem habuit Honufrium, qui sub Francisco*

cisco Sfortia militavit. Non absimilem sibi laudem meruit sub initium saeculi XV. *Nannes Piccolomineus militum Dux sub Ladislao Rege Neapolitano.*

4. Fridericus Petruccius, *Petrucci filius, Baldi Perusini inter Jurisconsultos aetatis suae Principis Praeceptor, & Sancti Galgani Abbas, cujus consilia canonica saepius edita, quantae doctrinae vir fuerit satis declarant. Vide Fabricium Biblioth. Med. & Infim. Latinit. Lib.* VI. *pag.* 209. *novae Editionis.*
5. Joannes Paglarensis (*Legendum Pagliarensis*) *amicus Friderici Senensis, vir fuit Legum consultissimus, cujus consilia nonnulla inter consilia Friderici Senensis, imprimis lucem viderant. Floruit circa annum* 1330.
6. Ricardus Petronius, *sub Bonifacio VIII. non minus scientia, quàm morum sanctimonia, ac dignitate claruit.*
7. Ugo Bentius *Andreae Filius Medicinam legit in Academia Parisiensi. Nicolai III. Atestini Ferrariae Ducis Medicus, & ab intimis consiliis, de quo Pius in Hist. Europ. Cap. De Urbe Ferr. Obiit Ferrariae anno* 14,9. *Plura scripsit de re Medica, quae enumerat Ugurgerius* Le Pompe Senesi tit. 17.
8. Simonetus Senensis *Simon Martini Senensis, cui hoc epitaphium Vasarius in Vitis Pontificum posuit, quanquam errat cum e Familia Memmia Senensi, & anno* 1345. *defunctum scribit. Obiit enim anno* 1344.

Simoni Memmio Pictorum omnium aetatis celeberrimo vix. an. LX M. II. D. III.

Vide ejus Vitam apud Vasarium. Meminit ejus Petrarca in suis carminibus Italis, quorum alterum incipit: Per mirar Policleto. *Alterum:* Quando giunse a Simon.

9. Petrus Pectinarius *natus in Pago Campio septem ab Urbe Sena lapidibus distante, post exactam vitae portionem aliquam in saeculo cum summa virtute, & pietate, inter Tertii Ordinis S. Francisci Fratres nomen dedit, floruitque adeo virtutibus religiosis, ut Dantes, quanquam Senensibus minus aequus, laudandum illum duxerit in suo Purgatorio Cant.* XIII., *ejusque Orationibus*

bus accepto retulerit, si in fine vitae suae anteactam vitam paenitudine ingemuerit:

Se ciò non fusse, che a memoria m' ebbe
Pier Pettinajo in sue sante orazioni,
A cui di me per caritate increbbe.

Obiit die v. *Decembris* 1289. *Vide Fastos Senenses pag.* 8.

ORA-

ORATIONIS II.

Argumentum.

Jam inde ab eo tempore, quo Turcae Constantinopolim occuparunt, anno scilicet 1453. AEneae Silvii animum cepit desiderium vehemens, ereptam Christianis insignis imperii possessionem recuperandi, quam in rem plus vice simplici orationes habuit ad Germanos Principes in publicis, ut moris est, coetibus collectos. Pontifices pariter Romanos ad eam expeditionem incendere studuit orationibus, quae in hac mea collectione leguntur. Pius iste in rem christianam ardor crevit in immensum cum AEneas ex privata fortuna ad summam Sacri Imperii administrationem sub nomine Pii Papae II. transivit. Nihil enim in novo Principatu habuit antiquius, quam ut Christianos omnes Principes Mantuam indiceret ad colloquium, ubi omnes inter se componere Principes illos, jungere omnium studia & arma in Turcicam expeditionem statuerat. Invitanti Pontifici citius segniusve a Principibus Europae fere omnibus obsequutum est; quanquam illorum Legationibus expectandis mensibus non minus septem Mantuae standum illi fuerit. In his vero Legationibus excipiendis quae ad singulas verba Pius fecerit, hic ego expromo, ex uno Lucensi Codice subministrata. Quas pariter pro Concilio dixit orationes hic ex edito reproduco; quorum Argumentum potissimum est ad Turcicam expeditionem excipiendam persuasio. Haec omnibus in Concilio proposita. Tum vero orationibus aliis aliae aliorum causae agitatae sunt, & praesertim, quae Gallos & Aragonenses inter se committebat. Venerant Mantuam ex Gallia Legati, primumque omnium conquesti sunt de Pontifice quod pro Ferdinando Aragoniensi in causa Regni Neapolitani stetisset alias, & tunc etiam staret. Id ergo volebant primum, ut deserto Ferdinando, Renato Andegavensi ejus aemulo obsecundaret; vel saltem nihil alteri prae altero

cero faveret. Factum suum excusavit non unica oratione Pius; obtendens a se id praestitum in eo rerum versante articulo, in quo pacari Italia haud potuisset, nisi Ferdinando daretur id quod ille sibi jam armis obtinuerat. Id Principes omnes, id Cardinales consuluisse; se tamen id cavisse ne quid juri Gallorum in ea concessione detractum censeretur. Duo haec communia sunt argumenta omnium orationum in Mantuano conventu dictarum.

ORA-

ORATIO II.

Habita in Conventu Mantuano VI. *Kal. Octobris Anno Domini MCCCCLIX.*

CUm bellum hodie adversus impiam Turcorum gentem pro Dei honore, ac salute Reipublicae Christianae suasuri simus, bene est, venerabiles in Christo fratres, ac filii dilectissimi, priusquam vos verbis aggrediamur, divinitatem ipsam, cujus in primis auxilium expetendum est, paucis in hunc modum affari. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem populi tui. Respice super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum. Miserere plebis tuae, & ne des haereditatem tuam in perditionem, quam propemodum instare videmus. Surrexerunt enim iniqui & impii, qui te non noverunt; venerunt gentes in haereditatem tuam; polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam: Vineam tuam exterminavit aper de sylva, & singularis ferus depastus est eam. Nos quamvis in hoc loco, tuo, ut arbitramur, nutu ad tuendam religionem tuam convenimus, nihil tamen possumus nisi ades & praesidium affers: nihil sine te valet humana fragilitas. Tua est potestas, tuum imperium, tua omnis virtus. Tu fundasti coelum & terram, mare, & omnia quae in eis sunt. Idem est tibi velle, quod posse; nihil est quod tuae valeat resistere voluntati. Adjuva nos in te uno sperantes, & te solum Deum pura mente colentes. Fac nobiscum signum in bonum, & mitte nobis auxilium de loco sancto. Da nobis cor, ut faciamus voluntatem tuam, & in praeceptis tuis ambulemus. Scimus quia tu non dees, Domine Deus, opem tuam simpliciter implorantibus: sed nos ipsi desumus nobis. Frigent pectora no-

Affert Labbeus Concil. tom. XVIII. *pag.* 110.

ſtra, ingere calorem, ingere flammas, ure corda & renes noſtros, ut tuo tantum igne ſucceuſi, quae tibi ſunt placita meditemur, ac foedam, & peccatricem Turcorum gentem, ſi tua voluntas eſt, de Chriſtianorum finibus ejiciamus.

Vos autem magnanimi & generoſi proceres qui adeſtis, ne claudite, precamur, aures, ne divertite mentem: aperite Deo interiora veſtra, qui mox volentibus vobis in animas veſtras illabetur, & vos ſibi templum atque habitaculum faciet. Audite nos ſua vice loquentes. Verba noſtra, verba Dei ſunt, qui Filii ſui Jeſu Chriſti, quamvis indigni vices in terris gerimus. Ipſe nos fari jubet, ipſe in ore noſtro verba poſuit; ipſe nos bellum ſuadere in Turcos imperat. Non vos hodie cardinales, aut epiſcopos, aut minoris ordinis Sacerdotes, ſermone noſtro compellabimus, quos conſtat armis ineptos eſſe, & piaculum, ac ſacrilegium fuerit niſi per ſe ipſos in cauſa fidei, quae ſunt ab eis expetenda, hoc eſt aurum & orationes ſua ſponte obtulerint. Vos illuſtres Duces, vos Marchiones, vos comites, vos Regum ac Principum oratores, vos fortes & exercitatos in bello viros, verba noſtra commonefacient, vos tangent, vos requirent, quibus datum eſt arma ſumere, non ut inter vos dimicetis, ſed ut Eccleſiam, ut religionem, ut fidem Chriſtianam a barbarorum & infidelium incurſibus defendatis. Poteſtas enim, ut inquit Paulus, gladium portat ad vindictam malorum, laudem vero bonorum. Videtis in quo ſtatu, in quo diſcrimine ſumus, & quantum a Turcis urgemur, premimur, infeſtamur. Non ignoratis, niſi arma ſumentes eorum impetum retundiitis, haud dubium quin lex evangelica & omnis noſtra religio peſſumdetur. Audite igitur, viri fortes, atque attentas aures adhibete, bellum ſuaſuro, quod hodie nobis nimis incumbit.

Tria, ut noſtra fert opinio, principaliter explicanda & ſuadenda ſunt. Primum eſt, ut cauſas juſtas atque urgentes oſtendat, propter quas pugnare oporteat. Secundum, ut facultates adeſſe doceat belli gerendi, & certam quodammodo victoriae ſpem faciat. Tertium ac

po-

postremum, ut magna assecuturos praemia victores patefaciat. In his hodie nobis elaborandum est, atque in his tota nostra consummetur oratio.

De causis belligerandi primum dicere oportet, quae duae sunt praecipuae, & maximae. Prima est, ut susceptas injurias ulciscentes, res amissas recuperemus. Altera, ut futura quae prope imminere videmus pericula evitemus. Ostendamus quaenam sunt illa quae amisimus. Quas nobis & Deo nostro injurias intulerunt Turci, inflicta Christianitati vulnera, illatas contumelias, inustam notam facile cognoscetis, si quae fuit olim Christiana religio, & quae nunc sit omnino aestimabitis. Cognoscite hoc, rogamus, & quantum gloriari possitis animadvertite. Sacrosanctum Evangelium, quod ablatis idolorum spurcitiis, Salvator noster mundo inseruit, non unum dumtaxat terrae angulum aut unam provinciam, sed universum ferme orbem implevit, quemadmodum regius Propheta multis ante saeculis de beatis Apostolis futuris praeviderat, dicens: ***In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum.*** Per hos enim evangelium mundo intonuit, quos ex piscatoribus Salvator ipse praedicatores effecerat, dicens: Venite post me, faciam vos piscatores hominum. Nec vana promissio fuit; piscati enim sunt Apostoli non sibi ipsis, sed Christo Domino universum fere orbem. Omnes Reges, omnes populi, in eorum seu retia, seu sagenas inciderunt. Impletum est enim illud Danielis vaticinium dicentis: ***Omnes reges, omnes tribus, omnes linguae servient ei.*** Verius Christo, quam Augusto Virgilianum istud attribui potest

> *Super Garamantas & Indos*
> *Proferet imperium: jacet extra sydera tellus,*
> *Extra anni Solisque vias, ubi coelifer Atlas*
> *Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

Nam circa tempora Constantini Magni natum ex Maria puerum Indi (1) simul & Hispani colebant. Nec Septentrio, nec Meridies Christum ignorabat. Vox Ro-

mani praesulis tamquam Jesu Christi Vicarii maria & terras penetrabat. Pax alta per omnes & tranquilla quies Christianos ibat, jacebat pardus cum agno, & leo cum vitulo accubabat; gens sancta, gens electa, populus acquisitionis Christiani habebantur, tributa ex gentibus accipientes, & in capite populorum positi.

Haec fuit olim, o Christiani, majorum vestrorum gloria, hoc imperium, haec auctoritas. Nunc quo nos Turci & Saraceni redegerint paucis animadvertite, docebimus. Indi, quamvis Christiani feruntur, & Armeni per Asiam dispersi (2) & pariter AEthiopes (3), in multis tamen versantur erroribus, & ignorantes, quam nosse debuerant, Christi legem, ignorantur a Domino. Quod reliquum est Asiae atque Africae, Christi nomen, atque legem implacato prosequitur odio.

Coepit haec calamitas sub Heraclio Caesare; nam cum aperta esset omnibus via salutis per Christum Dei Filium, qui annis antea circiter sexcentis mortem nostram moriendo destruxerat, invidens humano generi Diabolus, & nimium dolens Christum ubique regnare, pseudoprophetam excitavit in Arabia Mahometum nomine, sceleratum hominem, qui se Dei nuncium ementitus, contrariam evangelio legem condidit, de qua paulo post suo loco dicemus. Degeneraverat jam apud Graecos imperium, Romana virtus sub aliud translata coelum elanguerat, quae res Christianas opes paulatim evertit. Manserunt tamen in Asia complures Christiani usquè ad tempora Pipini Francorum Regis, qui anno ab hinc circiter DC. magno nomine apud Germanos, & Gallos regnavit. Tum vero digressi a Scythia Turci, Cappadociam, Pontum, Bitiniam, Troadem, Ciliciam, & omnem minorem Asiam occuparunt, & nostra negligentia potentes facti, non solum veros Christianos ex Asia pepulerunt, sed transmissis navibus Hellesponto, Macedoniam, Thraciam, Atticam, Baeotiam Phocidem, Achajam, Acharnaniam, Epirum, Pontum & utramque Misiam armis invasere, & in AEgeo ac Jonio mari Cyclades, & alias quamplures insulas subjicientes, hos Christianis ad Orientem terminos posuere. Ad meridiem Barbari

bari ex Africa, non solum inferi maris insulas sed ipsa quoque Italiae littora classibus infestant. In Occidente magnam Baeticae partem, quam Granatam vocant, Mauri occupant, & Hispanos agitant reges. Ad Septemtrionem, gelidamque Arcton, Lithuani Polonis contermini, magna ex parte ritu gentilium vivunt. Veteres Hungari ad ortum Tanais jacentes, & Tartari cum quibus Livonii pugnant, Christum prorsus ignorant, & ultimi Nortwegii populi cum semiferis hominibus bellum gerunt.

Hi sunt termini vestri, o Christiani, sic circumdati estis, sic in angulum coarctati, potentissimi quondam Domini, & orbis possessores. En quantum imperium amisistis, quot nobiles urbes, quot ditissimas provincias perdidistis; inter quas etiam Judaeam neglexistis, terram nobilem, terram sanctam, terram lacte & melle fluentem, terram, in qua primi nostrae fidei flores apparuere. Heu pudor! heu dolor! Fons & origo nostrae salutis Sion ad hostes defecit. Templum illud Salamonis fama clarum, in quo Dominus totiens praedicavit, Bethlehem, in qua natus est, Jordanem in qua baptizatus est, Thabor in quo transfiguratus, Calvariam, in qua crucifixus, ipsius Crucis possident inimici. Sepulchrum Domini gloriosum, lectumque illum purpureum, crocos spirantem, & suavissimis fragrantem odoribus, in quo propter nos & vitam nostram obdormivit in Domino, nisi hostes velint, invisere non potestis. At Saraceni Mahometem habent in potestate apud Mecham, in qua, si vera est fama, falsi prophetae cadaver in arca ferrea conditum, vi magnetis pendet in aëre. Vos vero infelices, ac miserrimi Christiani, sepulcro Dei vestri, & urbe clarissima Hierosolyma privati estis. Tacemus Alexandriam, Thebas, Memphim, ac omnem AEgyptum; tacemus Antiochiam, in qua primum Christianorum nomen est auditum, tacemus Ephesum, & alias Apostolicas Sedes in Asia perditas, tacemus septem Ecclesias, ad quas Joannes scripsit Apocalypsim. Hierosolymam novi ac veteris Testamenti matrem in hostium esse potestate, satis flere & dolere non possumus, pro

qua

qua recuperanda nullus labor evitari deberet, nullum declinari bellum.

Nam si pro repetendis rebus justam belli causam veteres putavere, quis unquam justius induit arma, quam vos Christiani? quibus tot urbes, tot provinciae sunt ereptae, tot adempta regna, tantum ablatum imperium. Judaei, cum foederis arcam amisissent, pro recuperatione nullum belli periculum vitavere. Graeci, ob raptam Helenam, decennale bellum gessere. Carthaginenses propter fines paululum ampliandos cruentissima praelia cum Cyrenensibus commisere, pro quibus etiam Phileni fratres interierunt. Romani saepe sociorum causa sumptis armis in pugnam exiere. Revolvite historias, nullum unquam bellum tot causas habuit quot vobis adversus Turcos occurrunt. Sed quid ad nos vetera dicat aliquis? toleraverunt hanc infamiam proavi nostri, cur nos illis meliores sumus? cur tanta gloriae cupiditas, ut majorum injurias nostro sanguine vindicemus? Esto, patres vestri negligentes fuerint, honoremque suum parvi fecerint, an propterea vestrum negligatis, & duplici notari turpitudine, haereditaria scilicet & vestra, patiemini? an potius magnificis operibus detersa progenitorum infamia gloriosum nomen acquirere conabimini?

Sed negligamus, si sic libet, antiquam ignominiam, vetusta damna, nec nos urgeat quod nos pupugit ante. Transeat omnis Asia, omnis Africa; Europam saltem inspiciamus, & nostri temporis rationem reddamus. An parum nostra aetate nostra culpa perditum est? Constantinopolim, Orientalis imperii caput, & totius Graeciae columen, non patres nostri, sed nos ipsi amisimus, qui dum torpentes in otio domi sedemus, usque Danubium & Savum Turcorum arma penetrare permittimus. Capta est nobilissima urbs regia culpa nostra, quam Pausanias primus condidit, Constantinus Magnus instauravit, & in aemulationem antiquae Romae amplificavit & magnificavit. In ea gentis imperator, & ipse Constantinus nomine, interemptus est, turba ingens trucidata, templa Dei magni polluta sunt; inter quae nobile opus Justiniani Sanctae Sophiae vocatum, tetro Mahometis ritu foe-

foedatum est. Beatae Virginis Matris Domini, & aliorum sanctorum imagines deletae sunt, altaria dirupta; reliquiae martyrum porcis abjectae, Sacerdotes occisi, matronae & puellae, ipsaeque sacrae Virgines ad libidinem raptae. Nobiles urbis inter vina & epulas ipsius Turcorum ducis jugulati, Salvatoris nostri simulacrum in cruce pendentis, in derisionem atque contemptum, praecedentibus qui dicerent: hic est Christianorum Deus; in castra delatum, sputo, luto, atque omni foeditate jactatum. Nova sunt haec, & sub oculis nostris gesta, haec fiunt, & tamen excitari non possumus, cum vitulis marinis, cum Druso dormimus, lethargum patimur, qui tot contumeliis agitati e somno surgere non vellemus.

Heu furias! Heu artes Demonum! pugnare potius inter se Christiani volunt quam Turcos adoriri. Civilia bella magis cupiunt, quam externa; & saepe parvis de causis cruentissima committunt praelia. Pulsatus modo villicus, modo servus, magnos traxit in arma reges. In Turcos, qui Deum nostrum blasphemant, Ecclesias nostras diruunt, & omne Christianum nomen perdere satagunt, nemo audet arma sumere. Omnes in arcum pravum dati sumus, declinavimus omnes, simul inutiles facti sumus, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sed cogitabitis melius, viri prudentes; & fortem induentes animum, recuperare quae sunt amissa & acceptas injurias vindicare conabimini.

At tantum de priori belli gerendi causa sit dictum. Nunc alteram attingamus, hoc est ut futura & prope imminentia nostris cervicibus mala evitemus. Possent fortasse aliquo modo tolerari praeterita, si finis malorum esset, & non majora impenderent discrimina. Sed quo pacto sperare quietem ab ea gente possumus, quae sanguinem nostrum sitit? quae occupata Graecia, in Hungariam, idest in viscera nostra, gladium adegit? Juvenis est adversarius noster, aetate florida (4), robusto corpore, animo vasto, tumido cursu victoriarum, quas sibi nostra negligentia peperit. Vanus est, deceptus est, si quis arbitratur adolescentem quieturum esse auro abundan-

dan-

dantem, armis assuetum & dominandi cupiditate inflammatum. Ponite hanc spem, nunquam ille arma deponet, nisi aut victus, aut omnium victor extiterit. Proxima illi quaeque victoria gradus erit alterius, donec subactis Occidentalibus regibus, deleto Christi Evangelio Mahometicam legem ubique gentium inferat.

Neque arbitremini longam moram priusquam vos adeat. Nam vicinae illae gentes tot bellis attritae, nisi opem fertis, amplius carpere non audebunt. Soli fideles Hungari perseverant; non tamen diu stabunt, nisi adjuti. Et hi quidem muri loco vobis ad Orientem remanserunt, quo diruto, neque Teutones, neque Bohemi, neque Poloni satis tuti erunt. Non asperi montes, non alta flumina iter impedient. Nihil erit, victa Hungaria, Turcis invium; nihil insuperabile orbis imperium quaerentibus; per Carnos & Forum Julii terrestribus copiis facilis in Italiam patebit transitus. Navali exercitu ex Vallana quam Turci possident, unius noctis navigatione Brundusium patet, & in superiori parte, & inferiori aperta est Turcis Italia. Utinam mendaces, & falsi Prophetae simus in hac parte, sed credite nos folium recitare Sybillae. Venient, venient Turci, nisi obviam imus, & auferent nobis locum & gentem. Non timent haec fortasse Hispani & Galli, neque Teutones qui Rhenum accolunt, neque Anglici oceano circumfusi. At prudentes reipublicae Gubernatores, bellum foris quam domi malunt, & remotissimam laudant militiam. Perniciosa & funesta sunt quae gerimus in nostris laribus bella. Romanis orbis domitoribus nulla suscepta calamitas durior, quam in Italia fuit, nec illi Annibalem felicius quam in Africa vicerunt. Credite nobis, proceres, credite nobis. Non est cur amplius dissimuletis, non est cur amplius differatis arma sumere. Si agros vestros, si focos, si liberos, si uxores, si libertatem, si fidem ipsam in qua baptizati, & renati estis retinere cupitis, bellum nobis credite, bellum geratis oportet. Neque vobis bellum injustum suademus, qui ejus locum tenemus de quo scriptum est: justitia & judicium praeparatio sedis tuae. Nec plura de primo ac principali membro.

Au-

Audistis, viri praestantissimi ac nobilissimi, quas ob causas in Turcos pugnare oporteat, nam & susceptae injuriae id exposcunt, & in futurum Christianorum indemnitati consulendum est. Nunc quod erat secundum ordinis nostri membrum, idest, an possitis hoc bellum gerere, & an victoria speranda sit, animadvertite. Cum Christianis nobis sermo est, qui divitem Italiam, nobilem Galliam, fortem Hispaniam, bellicosam, ac populosam Germaniam incolunt; his arma, his equi, his homines, his pecuniae abunde suppetunt. His vires longe majores quam Turcis adsunt. Audivimus tamen nonnullos esse, qui Turcos supra modum extollunt, nec superabiles putant tot praeliorum victores. Nos magnas esse Turcorum opes fatemur, sed multo minores quam fama ferantur, neque nostris quovis modo comparandas. Illi enim, etsi omnes conatus adhibeant, supra tamen ducenta millia hominum non educent. Sed quos homines? imbelles, atque inermes, ex Asianis, & Graecis mixtos. Nostis quanti faciat Asianos Romulus ille Virgilianus, cujus sunt verba.

> *O verae Phrygiae (neque enim Phryges) ite per alta* *Aeneid. 9.*
> *Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.*
> *Tympana vos buxusque vocat Berecyntia matris*
> *Idaeae: sinite arma viris & cedite ferro.*

Graeci quoque, illustres quondam animae, haudquaquam vigorem antiquum retinent. Degeneraverunt ferme omnes qui Turcis parent, neque in armis, neque in literis pristinum referunt spiritum. Ceciderunt omnia cum imperio. Non stant simul fortia pectora & servitus. Qui fortes viri in castris Turcorum militant ex Christianis, sunt ad summum quadraginta millia, nigrae, atque infelices animae, quae ubi vos armatos viderint, furiis agitatae scelerum, & ultorem Deum ante ora cernentes, ferrum stringere non audebunt. Reliqua turba in praelio nulli est usui, nisi caede sua fatiget hostes. Percurrite gesta majorum, Asiana bella muliebria puta-

verunt. Alexander, magni Alexandri propinquus, cum bellum gereret in Italia, frater meus, inquit, in Asia cum foeminis pugnat; mihi autem cum viris certamen est. Julius Caesar cum de potentibus gentibus triumpharet quae Asiam incolunt, in curru suo haec verba jussit scribi: veni, vidi, vici: ac si solo aspectu superandos diceret Asianos. Gotfridus, & alii qui secum in Asia militarunt, parva saepe manu innumerabiles hostium copias deleverunt; ac ipsos Turcos tanquam pecudes mactaverunt.

Sed arbitramini fortasse meliores hodie Turcos esse, victa Graecia, quam olim fuerint? At quales sint pugna Taurunensis (5) ostendit, anno ab hinc tertio gesta. Taurunum vocavere prisci oppidum ad confluentes Savum ac Danubium situm; hoc aevo nostro, alii Albam, alii Belgradum vocant propter situm non magni momenti castellum. Id cunctis viribus suis Turci expugnare adnixi sunt; pugnatum est interdiu noctuque summa contentione. Erant Christiani milites, qui oppidum tuebantur, pauci cruce signati, non nobiles aut divites, non armis assueti, non armis tecti, sed rudes, incompositi, agrestes; & hi tamen Turcos vicere, non tam ferrum, quam fidem hostibus opponentes. Ab his tumidus ille Turcorum imperator, insuperabilis antea creditus, & terror gentium appellatus, in acie victus, ab obsidione dejectus, castris exutus, turpem arripere fugam compulsus est. Quid Johannis de Hunniade victorias referamus? Quid Georgii Albani (6) triumphos commemoremus? cujus conspectum nunquam ferre Turcorum acies potuere. Unus nobis exemplo sat est Joannes Vintimilius, qui cum trecentis militibus in Epirum profectus, suppetias nepoti ferens supra decem millia hostium fudit, stravit, delevit. Hi sunt hostes vestri, o Christiani; cum his vobis hominibus pugnandum est, qui neque ferire, neque feriri nisi in terga noverunt.

Quamquam etsi fortissimi essent & bellacissimi, in Deo tamen sperandum erat, qui causae suae nequaquam deesset. An non scriptum est: *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros?* Orabat

Psal. 107.

Moy-

Moyſes in monte, & populos vincebat in acie. Sol retinuit curſum ſuum, ne victoris Joſue retineret curſum. Madianitarum pleniſſima, & munitiſſima caſtra cum trecentis viris diſſipavit Gedeon. Ammonitarum numeroſum exercitum cum paucis militibus ſuperavit Jephte; ſuperbiſſimos Philiſtaeos ſolus humiliavit Samſon; nec in manu foeminae, cum Deus voluit, victoria defuit. Potentes in armis Chananeos exterminavit Debora, Siſaram interfecit Jahel, & Holofernem obtruncavit Judith. Multa ſunt ejuſmodi in veteri lege, nec nova magnificis caret exemplis. Conſtantino Magno pugnam timenti ſignum crucis in coelo monſtratum eſt, & vox divinitus audita quae diceret: in hoc, Conſtantine, vince. De Theodoſio piiſſimo Imperatore illi ſunt verſus.

O nimium dilecte Deo, cui militat aether,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

In Britannia, quae nunc Anglia nuncupatur, ut author eſt Beda, barbarorum ingentes copias pauci admodum Chriſtiani & inermes alta voce canentes: *alleluja*, deleverunt. Non eſt abbreviata manus Domini, quamvis elongata eſt a nobis miſericordia ſua propter peccata noſtra; ſed propitiabilis eſt Dominus, & multus ad ignoſcendum. Si redierimus ad eum, & ipſe ad nos redibit. Facile per obedientiam placabimus, quem per contumaciam irritavimus, qui ut primum nos viderit humiliatos corde, mox odium in nos conceptum vertet in hoſtes, & nobis victoriam mittet.

Hanc Deam eſſe veteres putavere, quam Jupiter mitteret. Illam vero tanquam regi Deorum obtemperantem ad eos ire quos juſſerit, & in eorum parte conſidere. At hoc verum eſt, ſicut ait Auguſtinus, non de illo Jove, quem Deorum regem pro ſua opinione finxerunt, ſed de illo vero rege ſaeculorum, quod mittat, non victoriam quae nulla eſt ſubſtantia, ſed Angelum ſuum, & faciat vincere quem voluerit: Sicut in caſtris Aſſyriorum accidit Ezechiam regem obſidentibus, in quibus Angelus Domini centum & octuaginta quinque

millia hominum una nocte interfecit. Haec victoria, ideſt hic Angelus, omnibus procul dubio de coelo mittitur, qui pro cauſa Dei recto & magno animo pugnant. Verum cum eo hoſte nobis pugnandum eſt, qui Deo noſtro prorſus adverſatur.

Libet hoc loco pauca de Saracenorum lege referre, quam Turci ſequuntur, ut confidentius pugnam ineatis, quo foediores ac magis impios cognoveritis. Sceleratiſſima eſt Mahometea lex, quae non ſolum Chriſti divinitatem reſpuit, ſed innumerabilibus aliis ſcatet erroribus. Namque, ut praeteream deliramenta & ineptias illas quibus Angelos corporeos de flamma ignis creatos, interituros affirmat, & Origeni conſentiens Daemones aliquando ſalvandos tradit, & coelum de fumo factum, & Lunam aeque ſplenduiſſe cum ſole; ſed volitantis Angeli Gabrielis ala tactam fulgorem amiſiſſe. Quid illud tolerare queat, quod mundum, cum Democrito ſentiens, fortunae caſuique ſubmittit, & divinam providentiam aufert? Quid quod Sacroſanctam Trinitatem reſpuit, & impoſſibile ait Deum habere filium? Et quamvis Chriſtum ex Virgine natum conſentit, juſtum & ſanctum hominem, qui cunctas curaverit aegritudines, Deum tamen eſſe cum Ario negat, nec pro nobis obiiſſe cenſet, ſed ſublatum a Deo, in fine ſaeculi moriturum, & tum denique ſurrecturum; Judaeos autem alium ſibi ſimilem crucifixiſſe delirant. Nec Sancti Spiritus dignitati gloriaeque conſentit, quem creaturam cum Neſtorio Macedonioque mentitur, & omne fidei meritum auferens, in ſua quacumque ſecta ſalvari hominem perhibet, alioquin recte viventem, niſi a ſua lege abierit. Et quia non conſtant inter ſe mendacia, alio loco neminem ſalvari aſſerit extra legem a ſe traditam, in qua Beato Paulo contradicens, circumciſionem ſervari praecipit. Et vini tantum conſuetudinem prohibens, caeteras voluptates indulget, ſtupra & adulteria cum captivis & emptis mulieribus admittit, uxores plurimas, & cum his divortia paſſim concedit, nec concubitus naturae adverſos inhibet. Poſtremo homo beſtialis futurae vitae beatitudinem ſola carnis voluptate metitur. En ſapientem hominem, qui

qui se Dei prophetam audet nominare, temerator antiquae legis, corruptor novae, prostitutor animarum, verus procurator Orci, & primus Satanae satelles, cujus auditores inferni mancipia sunt, quales Turcos esse non dubitamus, adversus quos armis contendere, sacrificium Deo fuerit & acceptissimum spectaculum.

Caeterum quia divinitatem Christi, ut diximus, impia Saracenorum & Turcorum secta prorsus excludit, non abs re fuerit hoc in loco, majestatem ejus & gloriam in medium afferre, cunctisque palam facere, Christum quem colimus, & cujus causa bellum suademus, verum Deum esse, sibique thura deberi & divinos honores. Aggrediamur igitur hunc articulum, semper enim conandum est, ut veritas magis atque magis elucescat. Agemus autem pingui Minerva, non more philosophorum, quos vix illuminatissimae possunt intelligere mentes. Ut quisquis cum proximo suo loquitur, ita & nos hodie vobiscum loquemur. Cupimus enim etiam a piscatoribus intelligi, qui fidem a piscatoribus accepimus. In primis autem illud assumimus, quod omnes ferme concedunt, Deum scilicet unum esse, a quo omnia condita sunt, & gubernantur universa. Docent viri sapientes tantam mundi machinam, & tantum rerum ordinem, quantum in mundo cernimus stare non posse, nisi & unus esset rector omnibus imperans. Recipimus igitur confessa majorum, qui mundialis machinae rectorem, & quidem unum esse fatentur, eumque Deum vocant, quo nihil majus, nihil melius aut inveniri, aut excogitari queat. Hunc nos Christum esse luce clarius ostendemus, ad quod efficiendum tutissima, & apertissima via ex miraculosis ejus operibus patet. Nam & ipse interrogatus a Judaeis, an Christus esset: *Loquor vobis*, inquit, *& non creditis mihi; opera quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me.* Facessant igitur Dialecticorum syllogismi, & oratorum inductiones; ipsa nobis Christi opera, Christi divinitatem ostendant, religionisque nostrae fidem confirment facta, non verba. *Joan. 10.*

Ponatur igitur ante oculos nostrae mentis homo, qui vocatus ad nuptias, aquam in vinum convertat; quo-

quocumque iter faciat aegrotos solo verbo sanitati restituat, mutorum linguas in eloquium solvat, claudis gradiendi facultatem tribuat; caecis lumen, surdis auditum praebeat; paralyticorum membra consolidet, respersos elephantiae maculis repurget; ac non solum vires imbecillis adjiciat, sed ipsos quoque mortuos in sepulcro quatriduanos, tanquam somno solutos ad vitam revocet; secreta & cogitationes hominum intelligat, futura praenunciet, Daemonia ejiciat, super aquas siccis pedibus ambulet, ventis imperet atque mari; postremo volens juxta sermonem suum prius habitum, captus a Judaeis crucifigatur, interficiatur, sepeliatur, & tertia die resurgens, tractandum palpandumque corpus suum discipulis offerat, edat & bibat cum eis, & tandem post quadraginta dies videntibus illis in coelum ascendat. Quid hic post tot signa dicemus? an non interrogatus a discipulis Joannis, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* interrogatores ipsos ad miracula remisit? Certissima quippe divinitatis argumentatio est, miraculorum ostensio. Quod si nonnulli philosophorum naturam ipsam Deam esse putaverunt, cur non magis Deus ille credendus est, qui naturae dominium se habuisse miraculis patefecit? Dicat fortasse aliquis Moysem, Heliam, Elisaeum, caeterosque prophetas, & ipsius Christi discipulos signa & portenta fecisse, ac naturae cursum retinuisse, non tamen fuisse Deos. Verum est id quidem, sed neque illos Deos sese dixerunt. Mentiri enim & miracula facere supra naturam quae Christus fecit nulli est datum, sicut apud Joannem testatur caecus a Domino liberatus, *scimus*, inquiens, *quia peccatores*, hoc est mendaces, *Deus non audit*. Et Nicodemus: *Rabbi*, *scimus*, inquit, *quia a Deo venisti*; *nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi esset cum eo Deus*. At haec quae retulimus, & alia quamplurima de Christo miracula, sacrosancta quatuor Evangelia tradunt, quatuor uberrimi testes affirmant. Accedunt epistolae doctoris gentium Pauli, & Actus Apostolorum, ex quibus palam fit ea signa Christum fecisse, per quae naturae Dominus ostenderetur. Fuit igitur cum eo Deus, & ipse verax; neque enim men-

mendacibus Deus conjungitur. Si verax Christus, igitur & Deus, qui de seipso dicit in Evangelio: *Ego sum via, veritas, & vita*. Et: *qui videt me, videt & Patrem*. Et rursus: *Ego & Pater unus sumus*. Et alio loco: *Pater, clarifica me ea claritate quam habui apud te priusquam mundus fieret*. Quibus verbis se Deum esse manifestissimè testatus est.

Quod si quis Evangelio non credit, non videmus cur Moysi credat, & aliis antiquae legis scriptoribus. Credunt Graeci Herodoto, Thucydidi, Polybio, Xenophonti, Diodoro; credunt Romani Livio, Sallustio, Trogo, Cornelio, Svetonio, credunt & alii suis historicis. Cur nos non credimus nostris? Quanquam illi minime cum nostris comparandi sint; illi enim nullius auctoritate recepti sunt, sanctum Evangelium multa Patrum Concilia prius approbaverunt, quam legendum Ecclesiis traderetur.

Ad cujus robur etiam martyres accedunt, qui pro testamento Domini sua corpora tradiderunt, & laverunt stolas suas in sanguine agni; inter quos etiam virgunculae magno miraculo non expaverunt supplicia. Accedunt & sanctissimi Doctores, qui cum essent perspicacissimi, nequaquam Evangelio credidissent, nisi veram ejus historiam cognovissent; sicut apud Graecos Dionysius Areopagita, Joannes Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Cirillus, Athanasius, magnus Basilius, & alii quamplures, apud Latinos, quatuor Doctores fama illustres, Gregorius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & ultra illos Cyprianus Chartaginensis, Isidorus Hispalensis, Hilarius Pictaviensis, Eusebius Vercellensis; proximo aevo nostro Thomas Aquinas, & Albertus magnus natione Svevus, & alii pene innumerabiles, qui de Christi divinitate, non more philosophorum qui sibi ipsis adversantur, sed omnes uno ore loquuntur, ut sine Deo putanda non sit tanta unitas atque concordia. Confert & multum Romanorum auctoritas, qui cum essent sapientissimi, quondam domini, & orbis possessores, collum Evangelio nunquam submisissent, nisi aut rationibus victi, aut miraculis tracti. Quis praeterea viros fortes

cos-

eosdemque potentes, Hispanos, Gallos ac Germanos Evangelium suscepisse crediderit, nisi magnis rationibus persuasos? Sane cum lex gentium mollis esset, Christianorum durior, nemo hanc subire voluisset, nisi auctorem ejus Deus esse didicisset.

Sed illud omnem ambiguitatem excludit, omnem titubationem avertit, omnem credendi moram expellit, quod multis saeculis, priusquam Christus carnem indueret, nativitas ejus ex virgine, sanctimonia vitae, miraculorum patratio, legis editio, captivitas, tormentorum perpessio, crucifixio, mors, resurrectio, in coelum ascensio, & reliqua quae de ipso legimus, ita in prophetia scripta reperiebantur, sicut postea gesta sunt. Legite Isaiam, Hieremiam, Danielem, Ezechielem, David, Salomonem, & alios prophetas, quaecumque de Christo jam facta commemorant Evangelistae eadem divino afflati spiritu prophetae, futura praedixerunt, Deum & hominem in Christo recognoscentes. Nec Sibyllarum contemnenda est auctoritas, quae longo tempore ante nativitatem Domini eam vaticinatae, ut Firmianus, & Augustinus affirmant, plura de Christi deitate cecinerunt.

His conjungitur honestissima lex Christi omni ex parte venerabilis ac modesta. Nam quid aliud Christus docet, quam coelestem mortales in terris vitam? Jubet enim nos Deum colere, festos dies sanctificare, proximos quasi nos ipsos diligere, pauperum misereri, viduas & pupillos atque omnes imbecillos protegere, infirmos, & in carcere clausos visitare, mortuos sepelire, castis nedum manibus, sed etiam oculis esse; adulteria, stupra, fornicationes, jurgia, lites, ebrietates fugere; primos in coenis accubitus, & omnes mundi pompas, omnes blanditias devitare, reges, ac parentes honorare, magistratibus ac sacerdotibus obedire; postremo thesauros nostros, ipsamque felicitatem non in terra, sed in coelo quaerere. Haec lex Christi est, hoc praeceptum, hoc testamentum ejus.

Conjungite nunc omnia simul. Christus ex Virgine natus castissimam vitam ducit, signa & miracula facit, naturae imperat, legem perfectissimam edit, quae orbis con-

consensu recipitur, Deum se dicit & hominem, prophetae martyres & doctores sibi astipulantur. Quid haec inferunt simul juncta? nisi verum esse testimonium Christi de seipso, & ipsum verum atque indubitatum esse Deum; Mahometem Arabicum, falsum, mendacem, perditum, ac omnino respuendum qui haec negavit. Verus igitur Christus Deus verus; verus Deus & homo Christus Jesus, qui cum Patre & Spiritu Sancto personarum trinitate colendus, misertus humani generis, primi parentis culpa, ut jam primi damnati, ut nos redimeret, ex arce coelesti, & altissimo Dei throno, splendor aeternae gloriae, figura substantiae Dei, moderator orbis, judex futuri saeculi, ad nos descendit. Neque rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo, sed formam servi accipiens, exinanivit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Neque ista sine suppliciis atque tormentis, sed dorsum suum, ut ait Esaias, posuit ad flagella, maxillas suas ad palmas; genas suas a foeditate sputorum non avertit. Speciosus forma prae filiis hominum, speciem atque decorem amisit; ductus est tanquam ovis ad victimam, & inter latrones deputatus est. Diviserunt sibi vestimenta ejus, & super vestem suam miserunt sortem. In siti sua potatus est aceto, & spineam coronam posuerunt super caput ejus. Non fuit dolor sicut dolor suus; a planta pedis usque ad verticem capitis non erat in eo sanitas, nec tamen ejulatus emisit. Sicut agnus coram tondente siluit.

O Homo, o Christiane, o qui fidelis videri vis, cur ista Christum tulisse existimas? Justus erat & dolus non est inventus in ore ejus; cur tot suppliciis subiicitur innocens? pro te doluit homo, peccata tua ipse portavit homo, & tu suo livore sanatus es homo. Bonus pastor animam suam posuit pro suis, & mortem tuam morte sua redemit. Et quas tu illi gratias reddis? Quid facis? quid cogitas ut gratus inveniaris? Turci nomen suum blasphemant, altaria sua diruunt, legem suam, haereditatem tuam perdere conantur, & tu domi jaces in otio? O reges, o duces, o viri potentes, surgite jam tandem, & Christi Dei vestri religionem ac honorem defendite, quan-

do nec opes nec vires vobis, quam Turcis minores sunt, & certissimi estis, pugnaturis vobis pro lege Domini, divinum auxilium imploranti minime defuturum. Nec pluta de secundo & principali articulo.

Tertium & ultimum modo, si placet, quam brevissime absolvamus, hoc est, quae praemia consecuturi sint, adversus hostes fidei pugnaturi. Audite, adhibete aures, fortissimi milites. Magna sunt & inaestimabilia bona, quae hujus honestissimi belli victores adipiscemini. In primis quaecumque in hoc bello acquiretis, arma, equos, vestes, argentum, aurum, servos, ancillas, agros, urbes, provincias, regna justè & licitè pro nostra distributione possidebitis, & ultra hoc clarissimum nomen, & famam aeternam cum viris illustribus consequemini. Sunt haec quidem more gentium expetenda: Nec majora quaesivere Romani, Graeci, barbari belligerantes.

At vobis, o proceres, praemia longe majora mittuntur. Nam regni coelestis possessio, & Christi haereditas vobis offertur, & haec quidem non solum vincentibus, verum etiam fortiter occumbentibus. Nam quod praedecessores nostros Urbanos, Eugenios, Innocentios, Alexandros, atque alios fecisse constat, Christianos omnes Cruce signabimus in hanc expeditionem ituros, & pugnaturis pro lege Domini, plenissimam omnium peccatorum suorum veniam largiemur, & apostolicis clavibus Paradisi portas aperiemus. Omnibus, inquit orator, qui patriam juverint, auxerint, defenderint, certum est esse in coelo definitum locum, in quo beati a Deo sempiterno fruantur. Verius & certius hoc illis promittitur, qui religionem Christianam, & orthodoxam fidem tuebuntur, & adversus impios Turcos invictis animis bellum gerent,

Festinemus igitur ad hoc bellum, in quo morientes veram inveniemus vitam. Non haec quam vivimus vita est, sed potius mors, quae fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Sicut lilia & flores deficimus. Levissima res est, quae hominem extinguit. Bestiolae minimae nobis insidiantur, & parvuli serpentis morsu, aranei nonnunquam ictu perimus. Anacreon poëta acino uvae passae, & Fabius Senator in haustu lactis

uno

uno pilo ſtrangulatus eſt. Nihil fragilius humana vita, quae tum incerta, tum breviſſima. AEvum noſtrum ut quam longiſſimum ſit, teſte David, in ipſis ſeptuaginta, vel octuaginta finitur annis. Quid amplius niſi labor & dolor? At eſto, Neſtoreos vivas annos, & Mathuſalem impleas aetatem; quid tibi poſtquam curſus peractus eſt? Breve eſt quidquid finitur, & ſtultitia eſt in his ſpem ponere quae praetereunt. O homo, moriendum eſt, quisquis es, & haec relinquenda quae ſunt in terris cariſſima. Nemo natus non moritur; a morte mortales appellamur. Nemo noſtrum novit an horam victurus ſit, & tamen haec terrena diligimus, quae mox relicturi ſumus.

Quin potius tranſitoria pro perpetuis commutamus, & hoc Turcenſe bellum aggredimur, per quod poſſumus immortales fieri, & ad illam civitatem Hieruſalem pervenire, quam ſummus rerum opifex mira pulchritudine & artificio inenarrabili molitus eſt, in qua Deum ipſum facie ad faciem videbimus, & ipſius bonitate fruemur, in qua ſanctos intuebimur Angelos, & omnium ſpirituum beatorum ordines quaſi concives, & contubernales habebimus, in qua nihil nos latebit eorum quae ubique fiunt? Liberatus enim hac terrena compage animus, omnium rerum ſcientiam, non ut ſentit Plato recuperabit, ſed ut Ariſtoteli & noſtris placet doctoribus, conſequetur. Illic nihil timebimus, nec planetae, neque cometae nobis formidabiles erunt, quos perhorreſcunt reges. *Sedebimus* (ut propheta teſtatur) ***in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, in requie opulenta***. Inveniemus ſabbatum ſine veſpero, ideſt, requiem ſine fine; renovabitur ut aquilae juventus noſtra, quae nullo ſenio, nulla temporis longitudine corrumpetur; ſatiabimur apparente gloria Salvatoris noſtri, quem ſine fine videbimus, ſine fine amabimus, ſine fatigatione laudabimus. O igitur nobile bellum! O felix praemium! O expectabilem pugnam! ex qua ſive vincimus, ſive vincimur, ſemper reges evadimus, & cum Deo noſtro triumphantes, lucidas Paradiſi ſedes quaerimus, pro quibus conſequendis Stephanus protomartyr lapidibus caeſus eſt, Petrus, & Andreas in Cruce ſuſpenſi, Paulus ſecuri per-

cussus, Bartholomaeus vivens cute nudatus, Sebastianus sagittis confossus, Laurentius flammis exustus.

Sed non haec a vobis, viri fortes, supplicia requiruntur, minori pretio coelum promittitur. Pugnate tantum fortibus animis pro lege Domini, & omnia consequemini, de quibus scripsit Paulus, quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae promisit Dominus diligentibus se*. O stulti & tardi ad credendum in his quae sacrae promittunt literae, digito Dei revelatae, atque conscriptae! O si adessent nunc Godfridus, Baldevinus, Eustachius, Hugo magnus, Bohemundus, Tancredus, & alii viri fortes, qui quondam Hierosolymam per medias Turcorum acies penetrantes, armis recuperaverunt! non sinerent profectò tot nos verba facere, sed assurgentes, ut olim coram Urbano secundo praedecessore nostro, Deus vult, Deus vult alacri voce clamarent.

Vos taciti finem orationis expectatis, nec hortamentis nostris moveri videmini. Et fortasse sunt inter vos qui ajunt, multa hic Pontifex loquitur, ut nos mittat in aciem, & corpora nostra hostium obiiciat gladiis; sacerdotum hic mos est, alligant aliis onera gravissima, quae ipsi digito nolunt attingere. Nolite ita putare filii, nemo patrum vestrorum memoria in hac sede sedit, qui pro fide Christi majora fecerit, quam nos juvantibus vobis, & Domino favente, facturi sumus. Venimus huc, ut videtis, non parum debiles, neque sine periculo nostri corporis, neque sine damno terrarum ecclesiae, plus defensionem fidei, quam patrimonium B. Petri fecimus, & quam valetudinem & quietem nostram. Accreverunt expensas mirum in modum, redditus autem apprime diminuti sunt. Neque ista gloriabundi referimus; taedet pudetque nos plura facere non potuisse. O si quae fuerant juvenili in corpore vires, hae nunc adessent, non iretis ad bellum sine nobis, neque periculum sine nobis subiretis. Ipsi autem signa praecederemus; ipsi Crucem Domini portaremus, ipsi vexillum Christi perfidis hostibus obiiceremus, beatosque nos ipsos arbitraremur, quibus datum esset pro Jesu mori. Et nunc, si censetis, non recu-

recusabimus aegrotum corpus, fessamque animam in hanc felicem expeditionem Christo devovere. Per castra, per acies, per medios hostes, si suadetis, lectica vehi generosum putabimus, nec magnifica verba ignavo prosequemur animo. Consulite quid magis Christianae rei conducat. Nihil adversabimur de corpore nostro, de persona, de pecunia nostra, vestrum judicium amplectemur. Metimini vires apostolicas; aestimate quid temporalia, quid spiritualia simul conferant, & quod vobis videtur humeris nostris onus imponite, nihil recusabimus. Duos habet ecclesia thesauros, spiritualem alterum, materialem alterum, utrumque liberaliter erogabimus, & illum qui nunquam exhauriri, & hunc qui nunquam impleri potest.

In praesentiarum tamen nihil aliud ex vobis petimus, nisi ut bellum contra Turcos gerendum decernatis. De pecuniis conquirendis, de ducibus eligendis, de classibus instruendis; de sede belli, de tempore expeditionis postea differemus; neque difficilis consultatio erit, quando nec arma, nec equi, nec naves, nec pecuniae, nec fortissimi milites, nec peritissimi duces Christianis desunt. Adsit tantum communis voluntas hujus honestissimi belli gerendi, quam ut mentibus vestris inserat ille rogamus, qui cum Patre & Spiritu Sancto sine fine regnat Jesus Christus. Amen.

NOTAE

In superiorem Orationem.

1. CIrca tempora Costantini Indi [*Jesum*] colebant. *Non dubito quin oratori nostro fucus hic factus sit ex ambiguitate nominis; quamvis enim Indos Christum nosse vel sub ipsa Constantini magni aetate, vel diu etiam ante, circa medium secundi saeculi, post Eusebium lib. V. H. E. cap. 36. ubi de Ganteno, tradunt multi; Indorum tamen nomen latissime tunc patuisse &* non

non alios ab Ethiopibus seu Abyssinis a veteribus illis designatos viri docti dudum animadverterunt.

2. Armeni per Asiam dispersi in multis versant erroribus. *Quamvis Armenorum Catholicus, Side in Cilicia residens, probatam a concilio Florentino fidem admisit, caeterique sub illo minoris Armeniae populi exinde Romanam communionem admiserunt; reliqua tamen natio majoris Armeniae Catholico alteri, qui in monasterio Ecsmiasin residet, parentes, errores pristinos pervicaciter retinent.*

3. Et pariter AEthiopes. *Catholicam fidem AEthiopes una cum caeteris Asiae Christianis in Concilio Florentino agnoverunt. Sed haud diu post ad veteres errores rediisse ex hoc AEneae testimonio scimus. Modo Dioscoro assentiri Christianos illos scimus ex fide Gregorii Abba vulgata a Fabricio in salutari Lucae Evangelii cap. 47.*

4. Adversarius noster aetate florida. *Mahometes II. ex Amurato patre natus est anno Christi 1431. ut ex Annalibus Turcicis a Leunclavio vulgatis discimus; quare anno illo agebat aetatis annum 28. seu 29.*

5. Pugna Taurunensis ostendit. *Anno 1456. a Christianis egregie pugnatum est cum Turcis ad Taurunum. Exercitum fidelem ductabat Joannes Hunniades, cujus militaris peritia virtutem animi aequabat. Pugnantibus pium ardorem adjecit Joannes Capistranus; tantisque incitamentis animati milites, quanquam alioqui armis, & militari exercitatione parum instructi, miracula patrarunt, non praelium gesserunt. Fusi enim fugatique sunt ad centum quinquaginta millia hostium, quanquam alii numerum hunc militum tertia parte restringunt.*

6. Georgii Albani. *Multo notior est titulo Scanderbegi, quod sibi nomen sonans* Alexander dominus, *ab Amurate Turcarum Imperatore datum retinuit, omine felici; vix enim unquam cum Turcis pugnavit, quin vicerit. Postremo tandem & ipse experimento suo didicit fortunam, quamvis diuturnam, non esse perpetuam; nam a Turcis insigni clade affectus est, & anno demum 1467. obiit.*

ORA-

ORATIO III.

Habita in Conventu Mantuano.

Respondet Orationi Guillelmi Parisiensis Episcopi Oratoris Regis Franciae.

Multa hic hodie magnaque dicta fuerunt, auditu digna. Nam quatuor orationes audivimus, quarum tres tum pro carissimo filio Carolo Christianissimo Francorum rege illustri, tum pro carissimo filio Renato etiam rege illustri, tum pro praepotenti Januensium populo dictae sunt; altera maximo eloquentiae splendore ostendit orator elegans & doctor Gregorius (1) quantum polleret religio, dignitas, & illustrissimus Austriae sanguis. Tua oratio, venerabilis frater Parisiorum episcope, laudatione non eget, nam congesta coronae hujus atque consessus totius attentio quanta fuerit plene ostendit; elegans quidem verborum ornatu, plena & artis & venustatis, sententiarum varietate redundans, quodque his majus est, elocutione suavi: cui respondebimus non ordine illo quo per te dicta est, sed quo multa praetereuntes, majora collegimus: sex partes inde complexi, quarum, quidem prima laudibus personae nostrae niti magnopere visa est, secunda beatissimi Petri, cujus nunc insidemus sedi, dignitatem aperuit; tertia praestitam per eumdem Christianissimum regem explicavit obedientiam. In quarta commendavit nobis Christianissimus rex Renatum regem, populumque Januae; quinta in ipsius regis atque regni Francorum laude versatur; sexta optimam voluntatem regis ejusdem expressit, in eo quod pertingit expeditionem in Turcos.

Ex Labbe Concilior. to. XIX.

Quod primum attinet; non inflatur, non extollitur laudibus, infirmitatis suae conscium pectus. Scimus quidem

dem & agnoscimus nostras infirmitates, nec arbitramur aliud, cur Divina bonitas nos ad sacri vicariatus Petri solium & fastigia sancta provexit, nisi ut ex nostra tenuitate luceret nostra potestas, ex imperfecto nostro fulgeret virtus ipsius, qui piscatores, qui homines, & vulgo qui infirma mundi elegit; ut fortia quaeque confunderent, utque tot miraculorum fulgorem, tantam vim fidei, quae potestate mundum omnem complexa sit, quae ubique radices egerit, non hominis cujusque merito, sed ipsi soli Deo ascriberemus. Praeclare vero cui, meritis impares, insidemus, beatissimi Petri sedem laudasti, quam nemo praestantissimo ingenio & flagranti studio satis digne unquam laudavit.

Non enim principes, non reges, non imperatores, non potentes populi, non patrum & conciliorum decreta Romanam & apostolicam sedem fixerunt & erexerunt, nec ullis synodicis constitutis omnibus ecclesiis per orbem praelata est; sed omnes ecclesias per orbem sparsas universum, unam ecclesiam esse, unum sibi thalamum, & ipsius praesidem fore beatum Petrum, voluit Christus verus homo, qui regnat in Trinitate verus Deus. Haec sedes est una perfecta matris suae, una electa genitricis suae; haec est apostolica sedes, quam Verbum illud, per quod coelum & terra creata sunt, non hominum mortalitas fluxa, instruxit; haec quam prophetarum praesagio constituit Deus super gentes & regna, quam apostolorum testimonio, martyrum sanguine, imperialis sedis adeptione, munivit; hujus ordinationi quisquis resistit, utique potestati Dei resistit.

Nemo in pravum sensum sermonem nostrum detorqueat, nemo carissimum in Christo filium Carolum Francorum regem illustrem putet a nobis insimulari; nam Christianissimus ille rex, ut audivistis, obedientiam apostolicae sedi omni conatu impendit; sed illos loquimur, qui aliud, aut docent, aut sentiunt, quam ipse, qui est caput totius ecclesiae, cui ait Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*.

Nemo se fallat, nemo veritatem fidei perfida praevaricatione corrumpat. Ecclesia una est, quae in multitudi-

tudi-

tudinem latius incremento foecunditatis extenditur, quomodo multi radii solis sunt, sed unum lumen, & rami arboris multi sunt, sed robur unum tenaci radice fundatum, & quomodo de fonte uno rivi plurimi defluunt, & numerositas licet diffusa videatur exundante copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium Solis a corpore, divisionem unitas non capit; ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; a fonte praecide rivum, praecisus decrescit. Sic ecclesia Dei luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit, unum tamen caput est, & una origo, & una mater ecclesia, quae incorrupta unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Alienus est, profanus est, hostis est, & habere non potest Deum patrem, qui Romanae sedis quae universalem ecclesiam virtute complectitur; non tenuerit unitatem. Haec sedes demum est, quae potestatem ligandi atque solvendi accepit, quam si quis corripientem, corrigentem, jubentem contempserit, censeri debet sicut etnicus, & publicanus. Positus in petra legitur Moyses, ut faciem Dei contemplaretur. Super hanc petram aedificavit ecclesiam suam praeporens Deus, quam qui non agnoscit, Divinam praesentiam intueri non poterit. Sola quippe est per quam Dominus sacrificium accipiat libenter, sola quae pro errantibus intercedat fiducialiter; sola est quae intra se positos valida charitatis compage custodit. Haec est arca & navis, quam ingressi non immerguntur diluvio, sed super aquas evecti in sublime feruntur; omnes autem extra istius sedis arcam praeclusos diluvium extinguit & perimit.

Nemo sibi blandiatur conciliorum auctoritate istius apostolicae sedis potestatem restringi (2) quam incommutabilis Dei sententiam firmavit, neque quorumlibet doctorum, & magistrorum in adversum audiantur opiniones, quas concilium Florentinum destruxit. Quicumque enim ab unitate istius sedis, ab auctoritate B. Petri sejungitur, ingredi non poterit januam regni coelestis. Diximus pro angustia & pro hora jam altiore fortasse diffusius, pro hoc domicilio imperii Divini, religionis, & gloriae, pro imagine coelestis solii & excellentia parum,

pro qua nimium dici non potest; sed nos utcumque materia locuples longius traxit.

Nunc vero tertium quod obedientiam praestitam vice Christianissimi regis attinet, illam nos & venerabiles fratres nostri sanctae Romanae ecclesiae cardinales, ut est integre delata complectimur. Habet hoc a natura rex, & a majoribus in se transfusum, tuerique non immerito debet obedientiae meritum, quod sacrificiis praeferri divinitus promulgata lex sanxit, beneque prospicit suo decori, suae gloriae, suae saluti, cum secutis semper Romanae sedis obedientiam suis majoribus videat evenisse prosperitatem, quodque quantum quilibet regum detraxit ex obedientiae studio, tantum amisit ex gloria.

Quod quarto loco efflagitasti, carissimum n. in Christo filium Renatum regem Siciliae illustrem, Januensemque populum commendatos habeamus, nos quoque velimus Christiano illos favore complecti, cum & responsuri simus suo loco legatis ipsius hanc rem differemus, illam strictim tunc tractaturi, quia secretior locus ad ista petitur a te, & polliceris tunc nobis aperta iri plurima latius.

Quintum vero cum tu venerabilis frater, sis exorsus collaudare ipsum Christianissimum regem, nec sustinet angustia temporis, nec satis dicere possumus ad dignitatem, neque etiam opus est extollere universas prope, quas audivimus inesse ipsi virtutes, nec fas est solem facibus adjuvare, ut nunc dicebat regis Renati orator. Nec una Francorum regum progenies est, quae magnitudine dominii antistat aliis. Nam C. Caesar quem cosmographi sequuntur, latissimam Galliam propterea ostendit, quod eam descripsit complecti quidquid inter Oceanum, Rhenum, alpes, montes Pyreneos continetur. Vetustas vero gentis Francorum jam satis constat pluribus annalibus, eaque ad Orientalem primum plagam sedit; demum magna hominum vi Gallias immigravit. Qui resederunt non Francorum, sed Franconum retinent nomen. Illud autem regum genus, quod ab Orientalibus tractum est, Francorum nomen adeptum, ut venit, & migravit, Galliam suis virtutibus illustravit, adjunxit quo-
Sic. que non omnem: Helvetiorum nempe populi, paucisque

exce-

exceptis Belgae gens, secluduntur ab ipso regno.

Nihil vero videtur praestabilius regni ipsius religione, qua semper sic floruit, ut praecipui Romanae sedis defensores & fidei athletae omnibus regibus aliis Christianissimi nominis semper gloria praestiterint Francorum reges. Quid enim tam admirabile, quam cernere in ipso regno sparsos tanquam flores ecclesiasticos coetus, & praeter infinitam in ipso regno collegiorum multitudinem, centum & unum episcopatus, & innumerabilium in illo monasteriorum ubique opus illustre, illustres opes, unumque regem Francorum (si bene Salamon *in multitudine*, inquit, *populi gloria regis*) qui admirabili populorum multitudine, virorumque viribus polleat, quibus natura sit datum, ut acres ingenio, pugnacissimi bello reperiantur? Sunt quidem in regno ipso ducatus, & plures maximi, comitatusque aequandi regnis, & mite coelum, aër suavis, fertilis ager. Sunt in ipso studia plurima scholasticorum, sed tuum illud Parisiorum, venerabilis frater, fertur illustrius, in quo theologiae maxime necessaria doctrina viget, ex quo etiam magisterium promeruisse, magni honoris, maximaeque difficultatis (3) existimatur. Ita omnibus & fortunae, & naturae, & doctrinae, & religionis purae praesidiis collustratur Franciae florentissimum regnum.

Quid reges veteres, majoresque hujus Christianissimi regis, qui non solum regibus plurimis & maximis anteponerentur, sed veteribus illis Scipionibus, Corneliisque compararentur? Celebratur ab oratoribus pluribusque poëtis virtus eminentissima Caroli magni, & Ludovici primi. Fuerunt & Dagoberti, & Philippi reges, quorum virtutem Carolus ad praesens rex & reddit & imitatur. Nam & religionis & cerimoniarum fertur observantissimus, & praeclara regnorum gubernatrice sapientia, regnum quod dissipatum accepit florentissime, pace tranquillitateque moderatur. Est autem ex sapientia regis populorum pax, & tempestatum fluctuumque secura depulsio. Plura de aequitate, de justitia, de temperantia, de pietate ipsius, dicenda forent, nisi defatigatis animis ex auditione quatuor orationum, hora detraheret dicenti prolixitatem.

 Quod

Quod igitur exordium sumpsisti, quasi jure nostro ad extremam orationis partem sumemus. *Secundum nomen tuum, sit & laus tua in fines terrae.* Nam cum oppugnantibus Turcis Christianorum fines immineat extrema calamitas, in rege vero sit ea potentia, ut ipse vel solus, vel cum paucis aliis mederi possit, nos tui thematis, venerabilis frater, nolumus auctoritatem negligere; nos enim & regem qui & Christianissimus sit & appelletur, & regem Franciae Carolum, dictis per te votis alloquimur: *secundum nomen tuum, sit & laus tua in fines terrae.* Calamitas Graecorum jamdiu defleta est, jam latinorum quotidianae clades per omnes angulos orbis intelliguntur. Quid tam regium, tam liberale, tam dignum nomine regis, quam opem ferre petentibus, succurrere afflictis, dare salutem periclitantibus, liberare periculis fratres eodem secum baptismatis fonte renatos, retinere quos Turcus lacessit principes in dignitate? Quid tam decens Christianum regem, quam christianae religionis decus armis contra arma, vi contra vim protegere, nec sinere tot Christianas provincias in servitutem Turcorum & foedam superstitionem perverti? Quid tam proprium Franciae, quam semper ad omnes pia fide paratas expeditiones tenere arma, quibus protegi valeat Christianus populus, vel impetere fidei hostes, vel se ulcisci lacessitam? Nulla certe legitur expeditio adversus infideles acta insigniter, in qua Francorum non polleat nomen, eniteat virtus, fulgeat fortitudo, multaque pereximia gesta. Per Antiochiam, per Hierosolymas, per Damascum, Syriam, Phoenicem, & usque Mesopotamiam pro populi religione arma circumtulerunt, victoresque regionibus illis sunt dominati, quamquam haec postea per inertiam nostram amisimus.

Ac ne plura quae sunt innumerabilia consectemur, multis in historiis legimus illum prope divinum regem Carolum magnum, cujus exemplis incumbere Carolus Christianissimus rex debet & studet, & Ludovicum regem, multosque Francorum reges legimus, quorum per Italiam, Africam, Syriam, tum religionis, tum fortitudinis fuerunt impressa vestigia. His unum studium peculiare

liare

liare fuit, tueri fidem, defendere fedis apoftolicae auctoritatem. Id quidem agentes tanquam gratiffimi, nam & illecti, & provocati, & apoftolicae fedis beneficiis ampliffimis praeventi, tanto animo tanta gefferunt; tum praeter caetera ab ipfo fonte & capite Chriftianae religionis apoftolica fede, ad eos fidei religio orta, & per totum Occidentem diffufa fluxit & emanavit. Nos ifta tanta tamque multa longius produceremus, nifi alio tempore aperturum te in hanc rem plura pollicitus effes; & nifi defatigatio hujus coronae atque confeffus, horaque tardior, amplioris fermonis eriperet aviditatem.

NOTAE

In fuperiorem Orationem.

1. DOctor Gregorius. *Inter multorum principum legationes, quae Pium Mantuanum Concilium celebrantem, convenerunt, nobilis etiam ex Auftria miffa, a Sigifmundo duce adfuit. Geffit illam Gregorius Hanburgenfis, juris fcientia clarus, & Theutonica eloquentia difertus; cujus tamen mores haud ita ingenio respondebant; nam cum principi ferviret Sigifmundo Imperatori quamvis germano, tamen non amico, clam ferebat inter legatos aliorum principum difcordias, ne inoptatam ab Imperatore expeditionem Turcicam convenirent. Vide Gobelin lib.* 3. *pag. mihi* 90.

2. Nemo fibi blandiatur conciliorum auctoritate iftius apoftolicae fedis poteftatem reftringi. *Suggillat his tacite Bafileenfis concilii Patres, qui ante id tempus concilii auctoritatem in pontificem ita extulerunt, ut detrectantem ftatutis fuis parere Eugenium IV. exauctorare non dubitaverint. Eorum dogmata, non vero ex dogmate coeptum in pontificem confilium, probaverant Galli, quos proinde haec Pii dicta feriunt.*

4. Tuum illud (ftudium) Parifiorum fertur illuftrius, ex

quo

quo magisterium promeruisse magni honoris, magnaeque difficultatis. *Parisiensis scholae Theologicae magna semper fuit in Orbe literato fama, qua de re consulendus Bulaeus, in histor. Universitat. Parisiens. Middendorpius in Academiis, aliique. Supremis honoris literarii insignibus in ea obtinendis haec scientiae specimina exhibenda sunt. Sedet candidatus solitarius sine patrono socioque paratus respondere extemplo ad argumenta sexaginta saltem Baccalaureorum primi, & secundi ordinis, quorum singuli duo, praeter primum (Priorem vocant) qui novem opponit. Stat vero in eo loco immotus a quinta hora matutina, usque ad septimam vespertinam, ne tantillo quidem temporis absistens quoad cibo resocilletur. Hunc vocant actum Sorbonicum, cujus inducti honor debetur F. Francisco Mairono viro inter Franciscanae familiae alumnos celebri.*

RES-

RESPONSIONIS

Ad objecta Gallorum

Argumentum.

Mantuano conventui, a Pio indicto aderant cum caeteris christianorum principum nunciis missi a rege Gallorum legati; sed longe diversa a caeteris cura illos tangebat. Illud enim opportunum adfuisse tempus arbitrati, quo votorum suorum compotes fierent, proponenti Pontifici, ut in unam omnes expeditionem Turcicam convenirent; responderunt se praesto futuros, dummodo pontifex quam Ferdinando Aragonio concesserat regni Siculi possessionem revocaret, & Renato Andegavensi concederet. Egisse enim contra fas & jus pontificem, cum ad id usque favisset Aragonio contra Gallos, quorum patrocinio plus vice simplici apostolica sedes adjuta fuisset; quibusque jus plenum in regnum illud Siculum fuisset a Romanis pontificibus assertum. Reponens ad haec Pius, collata a Gallis in Romanos pontifices beneficia gratus agnoscit; sed aequalia vicissim a Pontificibus Romanis in Gallos repensa demonstrat. Se vero Siciliae regnum Ferdinando permisisse potius quam concessisse, pacis inter Christianos principes servandae necessitate coactum; cavisse tamen ne quid Gallis de jure suo, si quod haberent, decederet, mandans ut opportune coram Romano Pontifice judice causam suam agerent. Haec orationis bujusce summa.

RESPONSIO

Ad Orationem oratorum Gallicorum in conventu Mantuano.

Ex edito apud Labbeum. Concil. tom. XIX. edit. Ven. collata cum M.S. Cod. Lucensi ex quo dantur variantes

RESponsuri verbis vestris, insignes oratores, quae superioribus diebus ad nos habita longe plura continuerunt, quam scripta nobis postmodum reddita, non audemus cum Salvatore nostro dicere: *quis vestrum de peccato nos arguet?* Sumus enim peccatores, non negamus, & iniquitate circumdati. Solus ille bonus, solus immaculatus, & innocens agnus, solus irreprehensibilis in hoc mundo versatus est, quem digito Joannes ostendit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Possemus tamen, & audemus ipsis verbis uti, quibus Salvator usus est cum impie nefarieque caederetur: *Si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me caedis?* Verba vestra, quamvis modesta fuerint, & nihil a vobis dictum est imprudenter, nihil insolenter, existimationem tamen *nostram* (a) apud intelligentes & *oculatos* (b) viros non parum laesere. Nam quid aliud insinuavit vestra oratio quam Siciliae regnum Renato regi exploratissimo jure deberi; & nos a rectitudinis tramite deviasse, qui illud alteri concessimus, & inclinatam Francorum domum de Romana ecclesia optime meritam neglex̄imus, atque contempsimus, ex qua Renatus ipse natus est. Haec enim, licet ea reverentia exposuistis, quae hoc loco digna est, & qua tanti regis oratores uti decuit, reprehensos nos tamen, & laesos esse his sermonibus nemo sanae mentis ignorat. Licet igitur dicere cum magistro & domino nostro: *si male loquuti fuimus*; idest si quid injustè circa regni Siciliae dispositionem egimus, *testimonium perhibete de malo; si autem bene, quid nos caeditis?*

(a) M.S. vestram

(b) acutos

Sed

Sed minime hoc testimonium neglexistis: ostendere conati estis multis rationibus Regnum Siciliae ad Renatum pertinere, cujus progenitores ab Ecclesia Romana investiti, possessionem ejus diuturne obtinuere; a Carolo scilicet, quem primum in eo regno vocant, usque ad hunc Renatum, quem Alfonsus Rex Aragonum armis deturbavit. Etenim quamvis aliquando Hungariae Reges, quos vocant, Dyrrhachienses, regnum illud obtinuerint, a Caroli tamen sanguine, ex quo illi descenderant, non abjit; jus autem Dyrrhachiensium a Johanna prima ex voluntate & decreto Romanae Sedis in Ludovicum Andegavensem Regem, sanguine Francorum genitum, postea transfusum est, in quo successit filius sui nominis, & iterum nepos Ludovicus tertius, & denique Renatus, de quo nunc agitur, & cui regnum hoc, non solum ex concessione Romani Pontificis Eugenii, sed paterno & avito successionis jure deberi putatis.

Commemorastis deinde Francorum in Apostolicam Sedem praeclara & multa merita, quibus postergatis aut oblivioni traditis, haud recte a nobis esse factum contenditis, quod regnum Siciliae in Aragonensem familiam transmiserimus. In quo non solum nos, sed praedecessores nostros arguitis, & tum injustitiam, tum ingratitudinem Romanae, primaeque Sedis accusare videmini.

His nos morsibus impetiti, his colaphis caesi, his vulnerati sagittis sumus, sic vos testimonium de malo nostro perhibetis. Non dicemus hic quod ex officio dignitateque Sedis nostrae competit: oves pastorem suum non accusent, neque reprehendant: non damnabimus *feram* (*c*), tanquam surgat adversus illum qui trahit in eam. B. Petrum Apostolum Principem, cujus locum tenemus indigni, potius imitabimur, qui reprehensus quod *gentibus* (*d*) divertisset, rationem facti sui reddere non recusavit. Neque B. Leonem IV. si oportuerit, sequi pigebit, qui ad Ludovicum Imperatorem scribens: „Nos, „inquit, si quid incompetenter egimus, & in subditis „justae legis tramitem non servavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio „.

(*c*) ferram.

(*d*) ad gentiles.

Sic enim ex humilitatis dispensatione saepe nostri praedecessores factitarunt, ut rationem *de omnibus* (e) etiam minimis redderent eorum quae fecissent. Neque enim *tamquam dominantes in clerum, sed forma facti gregis*, esse debemus; non ignorantes, potestatem in Ecclesia ad aedificationem, non in destructionem nobis attributam, & quod tanto promptiores ad reddendam rationem nos ipsos exhibere debemus, quanto majoribus cumulati donis, & praeventi gratiis a Domino sumus. Nam multa quae aliis essent minora & digna venia, peccata nobis capitalia sunt. Verum est enim quod ille ait, quamquam profanus & *haereticus* (f) auctor

(e) rationem omnibus.

(f) & ethnicus.

Juven. Sat. VIII.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Quod si pie & juste vivere praeceptum omnibus est, hoc tamen Romanum praesulem prae caeteris decet, qui gregis Dominici pastor & caput Ecclesiae, suo exemplo reliquos trahit: hunc non solum esse propter se ipsum, sed videri quoque bonum propter proximos oportet. Neque cuiquam tam necessarium est, quam summo Sacerdoti, famam servare bonam, cujus neglectores testimonio Salomonis crudeles habentur.

Feretis igitur aequo animo, praestantissimi oratores, si nostri curam gerentes, innocentiam nostram tum caeteris omnibus, tum Regi vestro excellentissimo, notam facere studebimus, & de his quae sunt nobis objecta purgabimur. Etenim quamvis per infamiam & bonam famam transeundum est, Apostolus ait; summo tamen studio innitendum est, ut falsi rumores cessent, & boni nominis odor custodiatur, & omnis calumnia procul absit. Putabamus quidem Regem Franciae nihil sinistri de nobis credere, in his praesertim rebus, quae suam Serenitatem concernunt. Nam, teste Deo, cui mentiri sceleratissimum est, suum honorem, suam gloriam, & domus suae claritatem, regnique potentiam semper magni fecimus, & multa in ejus laudem publice privatimque sumus locuti. Nunc de nobis cur male sentiat, & cur sibi putet injuriatum non possumus non mirari. Delato-

latorum haec jacula sunt; suggesserunt impii pio Regi non vera; falsa calumnia nobis imposita est. Angeremur, cruciaremur vehementius, nisi sciremus solitam esse apostolicam cymbam saepenumero fluctuare, & procellis agitari frequentibus. Semper virtutes invidia sequitur, feriuntque summos fulgura montes. Symmachum & Damasum praedecessores nostros falsi accusatores in magna dejecere pericula. Nec Petro, nec Paulo calumniatorum verba pepercere. *Non est discipulus supra magistrum, nec servus major domino suo*. Salvatorem alii vini potatorem, alii Daemonium habere mentiti sunt. Quid mirum, si & nos vilis pulvis ac cinis, labiis subjaceamus iniquis? Non dolemus quod nos lingua dolosa prosequitur, sed regi optimo pessimam linguam fecisse fidem, molestissime, & amarissime ferimus. Recte Pythagoras hirundinem, idest garrulum & verborum relatorem in domo non esse tenendum monuit, & propheta liberari saepe optat *a labiis iniquis, & lingua dolosa*.

Mat. x. 24.

Ps. 119.

Vulneraverunt nos verba malorum, & apud sapientem regem velut stulti habiti sumus; stultos dicimus, quia omnis injustus stultitiae argui potest. Injustitia nobis, & ingratitudo imputata est, quoniam Renato regi bene merenti jus suum abstulisse dicimur. Tolerabimus ne hanc infamiam? an potius innocentiam nostram, & Apostolicae Sedis clementiam, justitiam, aequitatem, benignitatem omnibus ostendemus? Vos, regii oratores, filii estis Apostolicae Sedis, non audietis inviti matrem vestram objecta sibi diluere crimina. Docti & justi estis, libenter quae justa sunt audietis. Regem vestrum magnopere colitis; gratum vobis erit, illi nos nihil injuriatos fuisse verbis nostris intelligere. Ipse quoque Rex, ut nostra fert opinio, quae sibi de nostro in se aut suos odio relata sunt, ut falsa demonstrentur, plurimum cupit. Satisfaciemus desiderio suo & vobis, qui etsi vestra oratione existimationem nostram haud parum laesistis; non tamen vestro nomine locuti estis, sed regis, cui remote a nobis agenti facile fuit falsa pro veris inculcare. Sed jam ad rem veniamus, vobisque per singula capitula respondeamus.

Duo principaliter per vos proposita sunt. Primum Januam respicit; alterum Regem Renatum. In primo commendastis nobis nobilem populum Januae, qui commendatissimus nobis erit, & suis meritis, & regia contemplatione. Petivistis archipraesulem ejus Urbis tanquam laesae Majestatis reum, ad aliam Ecclesiam transferri (1). Obstant desiderio vestro decreta summorum Pontificum, quae Praelatos invitos non cognita causa transferri prohibent; quod etiam in Concilio Constantiensi extitit repetitum. Placeat tamen vobis requirentibus causam adversum eum committere, & juxta canonicas sanctiones procedere.

Supplicastis deinde ut haeredibus Perrini (2) quondam Januensis Ducis, in ea causa quam habuerat adversus mercatores Avinionenses, silentium imponamus. Non est moris nostri silentium cuiquam imponere, nisi causa diligenter inspecta. Suspendemus tamen censuras jam fulminatas ad aliquod tempus, ut interim negotium discuti possit, & justitia vobis favorabiliter ministrari.

In secundo principali membro quatuor capita esse notavimus; primum jus Renati regis illustris in regno Siciliae; secundum gloriosa Francorum gesta; tertium contumeliam eis factam; quartum ac postremum petitiones regis conclusit. Reddenda est sua unicuique particulae responsio succincta, & pro rei magnitudine brevis.

Nam quod primum dicitis, regnum Siciliae regi Renato deberi, neque probamus, neque improbamus, priusquam causa discutiatur. Quod si dicat aliquis, cur ergo indiscussa, & incognita causa Ferdinando regnum commisisti? reddetur inferius ratio. Nunc tantum hoc dicimus, nos vestro juri minime adversari, neque ullam esse gentem, cui de illo regno magis quam Francis faveamus, si constiterit eis jus competere. Nam cur nos Francorum genus excluderemus, quod tum nobilissimum, tum virtutis amantissimum est, ac de nostra Sede optime meritum? Non exclusimus nos Francos, sed exclusos invenimus; non praetulimus aliquem sanguini vestro, sed praelatos invenimus; non viam novam reperimus, sed veterem tenuimus; nihil juri Francorum detraximus, quam-

quamvis regnum ac regni coronam Ferdinando certo modo concessimus, sicut postea suo loco ostendemus. (g) Sic ubi de jure contentio, nihil aliud nobis incumbit, quam partibus auditis jus reddere, qui regni Siciliae directum dominium Romanae Ecclesiae nomine, nullo dubitante, retinemus.

(g) suo loco praecssus ostendemus. Hic, ubi de jure contentio est,

Verum, sicut ea quae de Renati regis jure dixistis, neque negamus, neque probamus; ita & illa manifeste, atque apertissime confirmamus, quae de gestis Francorum magnificentissimis, & eorum ingentibus meritis in medium attulistis. Magna est Karoli Martelli (*h*), jam major Pipini, maxima sequentis Karoli, qui ob ingentia facta, *id* (*i*) Magni cognomen adeptus est, quod Alexander Macedo orbe subacto, & Cnejus Pompejus, & Constantinus primus, clarissimis rebus gestis meruere. Plena est iis omnis Francorum historia, nulla unquam aetas vestrae gentis gloriam conticescet. Nam quis *Danos* (*l*) Normannosque (3) religionem Christi per Galliam persequentes compescuit? Franci. Quis Saxones toties fidei catholicae rebellantes perfregit? Franci. Quis Bohemos, ac Polonos Christiano nomini insultantes (*m*) redegit? Franci. Quis Hungaros Pannonias devastantes coercuit? Franci. Quis Longobardos Romanam diripientes Ecclesiam (*n*) *conterruit*? Franci. Quis Graecos ex Campania atque Apulia expulit? Franci. Quis Saracenos Trinacria deturbavit? Franci. Quis citeriorem Hispaniam ex (*o*) *manu eorum* eripuit? Franci. Quis Antiochiam, Ptolemaidem, Alexandriam, & nostrae salutis officinam Hierosolymam, ex Barbarorum dentibus aliquando extrahere praesumpsit? Franci. Quis usque ad Euphratem & Tigrim signum Crucis portare, ac *ipsam* (*p*) Mesopotamiae Urbem Christiano nomini restituere ausi sunt? Franci. Quis vexatam, laceratam, conculcatam, & omnibus modis a tyrannis oppressam Apostolicam Sedem in pristinam libertatem, & gloriam reduxit? Franci.

(*h*) Caroli Martelli laus; major Pipini.
(*i*) *Deest*, id
(*l*) Aquitanos.
(*m*) in fraena redegit.
(*n*) contrivit.
(*o*) ex Maurorum manibus.
(*p*) Edessam

Non sunt haec ignota, non potest abscondi civitas supra montem posita; nulla gens tam barbara, tam inculta, tam inhospita est, ad quam Francorum gloria non per-

pervenit. Illustre gentis vestrae nomen in omne permanebit aevum; patres filiis, filii nepotibus in generationem & generationem nobilissimi sanguinis excellentiam & clarissima facta referabunt. Exigit sibi Francorum virtus monumentum aere perennius, quod nulla destruat vetustas.

Sed cur haec ante oculos nostros commemorantur, qui nunquam ea negavimus, sed publice ac privatim honoris causa saepe recitavimus? An ista commemoratio exprobratio est immemoris beneficii? Nemo, qui vos audit oratores, alio sensu locutos putat. Et sane ita est: Nam cur haec vos retulistis majorum insignia? Cur veterum imagines ante oculos nostros posuistis? Cur triumphos, & vestrae gentis trophaea commemoratis, & Romanam Ecclesiam suis *adjutam juribus* (q)? nisi quod indigna perpessos esse Francos arbitramini, quibus post tot beneficia, tum religioni, tum fidei Catholicae, & Romanae Ecclesiae praestita, regnum Siciliae est ademptum. Ingrata igitur Sedes Apostolica; ingrati & nos, qui bene merentibus jus suum auferimus, indignis alienum concedimus.

(q) Auctam viribus exposuistis?

Excusanda est hoc loco sacrosancta Romanae & Apostolicae Sedis auctoritas, & ab ingratitudinis nota eximenda tanta majestas. Ad quam rem necessarium est, ut & beneficia referantur, quae Romani praesules in Francorum familiam contulerunt; neque erit inutile & hanc partem cognovisse.

Fatemur, magna sunt, neque quispiam parva dixerit quae Franci Romanae Sedi praestiterunt; sed & mater Apostolica Sedes benemerentes filios suos non rejicit, nec laborantes in vinea Domini mercede debita fraudat. Horum siquidem *qui libata* (r) gessere perpetuo memoratur, quaecumque hactenus potuit, quaecumque habuit, in augmentum gloriae eorumque salutis contulit, semperque ut domum illam praecipuam tenuit, cujus praesidio in suis adversis se tueretur; sic & primam habuit, in quam omnem amoris, benignitatisque suae sinum effunderet. Nam si vetera simul & nova recolimus, beneficentissima semper inventa est Beati Petri & sum-

(r) quae liliati gessere perpetuo memor,

summi praesulis cathedra, cum in caeteros omnes, tum in Francos (s), *in vestros*. Insistamus hic paulum, & quantum generi vestro profuerit, quantum faverit, quantumque consuluerit, animadvertamus. Quis vobis lumen fidei, quis legem Evangelicam, quis Christi Sacramenta, quis viam vitae, nisi Sedes Apostolica monstravit? *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*. Eratis mancipia Satanae, nunc filii Dei per adoptionem facti estis; eratis gehennae servi, nunc haereditatem regni coelestis expectatis. Unde vobis haec libertas, nisi per primam Sedem, quae missis in Galliam atque Germaniam praedicatoribus verbi Dei, extirpato lolio, boni tritici semen in cordibus patrum vestrorum seminavit, & aberrantes Francos ad ovile Christi perduxit? Nihil his majus adinveniri potest; nulla his compensari bona, nulla beneficia, nulla obsequia possunt; spiritualia haec, & tam vestrae quam aliis nationibus communia.

(s) Deest

Tit. 3. 3.

Ad saecularia veniamus; & in his quoque multa sunt quae recenseri possunt ab Apostolica Majestate in Francorum prosapiam congesta cumulataque dona. Languebat eorum regnum, & ad eorum interemptionem defluebat in manibus Childerici inutilis regis. Non tulit Zacharias, antecessor noster, nobilissimi regni ruinam, sed missis legatis regem totondit, & in monasterio reclusit, Pipinoque, qui major domus esset, & ingenio valeret, regimen, nomen, & gubernationem commisit. Atque ita servatum est Franciae regnum, & in gentem quae nunc regnat derivatum, quod per rectam lineam in aliam familiam deferebatur. Nam Pipinus, quamvis Francus regis ab sanguine natus, gradu tamen remotior erat. Hanc ille ex Apostolica Sede gratiam tulit, nec minorem filius ejus Carolus consequutus est. Nam cum defuncto patre, germanus quoque Carolomannus obiisset, uxor ejus Berta Hildegardae uxoris Caroli gloriae invidens, ad Desiderium Longobardorum regem cum liberis confugit, quos ille benigne suscepit, existimans per eos Francorum vires se facile concussurum; praesertim si Romanus praesul ex filiis Carolomanni alterum in Franciae regem inungeret. Praesidebat tunc in Apostolica

lica Sede Hadrianus I. qui neque precibus, neque minis, neque promissis ullis flecti potuit, ut impio Desiderii desiderio consentiret, quamvis exarchatus Ravennas, & omnis ager Ecclesiae Longobardorum ferro diriperentur, & igne vastarentur. Quae res Carolo unitum regnum retinuit.

Magnum hoc; sed majus illud quod Leo III. Romanus praesul in eundem Carolum contulit. Etenim Leone IV. qui duos inter Constantinos imperavit, alterius filius, alterius pater, Italiam negligente & in haeresim lapso, qui *sculpturas* (r) imaginum exhorrebat prohibebatque, indignatus Leo Pontifex maximus, imperium de Graecis ad Germanos in persona magnifici Caroli Magni transtulit. Quid majus potuit Apostolica Sedes praestare Francorum domui, quam eam Romano imperio decorare, provinciarum dominam & principem populorum, gentium, nationumque constituere? *Quid potui facere vineae meae*, (inquit Propheta in persona Domini) *& non feci?* Honorata est prae caeteris Francorum gens, & in sublimi vertice montium a Romana Ecclesia suscepto imperio collocata. Neque, ut vos asserere visi estis, dimidiatum imperium ad Francos dimissum est, sive duo imperia facta, Graecorum alterum, Latinorum alterum. Nunquam Romani praesules hanc absurditatem commisissent, ut hosti fidei gladium dimitterent. Totum & solidum translatum est imperium; sed Carolus ipse cum Irene prius Imperatrice & Constantini sexti matre, & deinde cum Nicephoro patricio, & cum eodem postea Imperatoris nomen adepto, imperium partitus est; & quod totum accepit, dimidiatum retinuit, orientales Graecis partes dimittens, sibi occiduas servans. Et quamvis imperium ad eos Francos transierit, qui tum Galliam Germaniamque possidebant, & postea in eis continuatum sit, qui Germanis praesunt; non tamen Franci, qui remanserunt in Gallia, quorum Carolus soboles est, ab Apostolica Sede relicti sunt. Quis enim tot Pontificales, tot Metropolitanas Sedes in Regno Franciae, nisi Romanus Pontifex erigi jussit? Quis tot privilegia, tot gratias, tot indulgentias vestris Ecclesiis ac

(r) culturas

Is. 5. 4.

ac Monasteriis, nisi Romanus Pontifex concessit? Quis gymnasia literarum, scholam illam Parisiensem [4] orbe toto percelebrem & fama claram, nisi Beati Petri successores illustraverunt, a quibus ea indulta consecuta sunt quae vix optare audebat?

Illud quoque, quod a vobis relatum de regno Siciliae in Francorum familiam translato quis non intelligit praeclarum & maximum fuisse munus? Dicet fortasse quispiam, & vos, Domini, oratione vestra sentire videmini, occupabant tyranni regnum, Manfredusque armis potens expelli non poterat: largita est Romana Sedes quod sibi obtinere nequibat, donare quam perdere maluit.

Haud quidem ita est; Innocentius enim IV. Romanae urbis antistes, natione Januensis, cum deposito Frederico, ex Gallia in Italiam rediisset, Neapolim se contulit, ibique tanquam dominus est receptus, ad quem salutandum omnes ferme regni proceres concurrerunt, se suaque illi committentes; inter quos etiam Manfredus fuit, neque dubium, quin regno toto potitus fuisset Innocentius, nisi morte immatura rebus excessisset humanis. Nec minor spes successoribus afferebatur, si non minor illis animus, non segnior cura fuisset quam Innocentio. Sed defuncto Alexandro IV. apud *Avarinam* (*u*), qui successerat Innocentio, Urbanus IV. natione Trecensis, armorum curam, & belli molestias, ut par erat, execratus, Carolum Andegavensem ex Francorum domo ad hoc regnum vocandum censuit. Sed prius obiit quam Carolus intraret Italiam. Intravit autem sub Clemente IV. cum *triginta* (*x*) triremibus Romam petens, ubi per annum senatoria dignitate functus, & deinde cum conjuge Beatrice jussu Pontificis apud Lateranum Siculi regni coronam adeptus est, ad bellum profectus est, in quo victor non sine magnis Ecclesiae Romanae auxiliis, *possessionem* (*y*) quietam, & tranquillam obtinuit. Fuissent & alii, qui hoc oneris cum tanto honore & emolumento suscepissent cupide; sed liliatos, ut vos appellatis, praeferendos omnibus censuit apostolica majestas. Intrarunt Franci regnum, eoque armis potiti; at non

(*u*) Anagniam

(*x*) Cum xxxi.

(*y*) Possessionem regni

sine Ecclesiae Romanae praesidio, quae non solum titulum dedit, sed etiam arma conjunxit, & anathema in hostes promulgavit, quod non parvi momenti fuit. Tenuerunt exinde Franci regnum longo tempore; (non verum inficior) Carolus, & item Carolus, & Robertus & Johanna quae prior dicta est; at non sine magno favore, & magna ope Romanorum Pontificum. Neque enim Conradinus, Frederici II. nepos, qui conflato numeroso exercitu ex Germania in Italiam venerat, ut avitum regnum vindicaret, absque Romani praesulis auxilio vinci capique potuisset.

Carolus I. Andegavensis *Carolus II. filius Regis Hungariae*, *Robertus ejus filius*. *A Clemente IV.*

Johannes XXI. adeo Carolum dilexit, ut ei Graecorum imperium committere cogitaverit, fecissetque suo desiderio satis, privato Michaele Palaeologo, qui conventa Lugduni non servarat, nisi cogitationes actionesque suas repentinus interrupisset obitus. Simile studium fuit & Martini IV., qui Nicolaum III. sequutus est. Ipse enim senatoriam dignitatem Carolo restituit, Michaelem Constantinopolitanum excommunicavit. Impedivit autem Martini conatus Siculorum novitas, & Petrus Aragonensis, qui rebellantem Carolo Trinacriam advectus, eam cum valida classe subegit.

Multa inter Carolum & Petrum terra marique sequuta sunt praelia, & ab ingentibus *cladibus* (z) concussum est regnum; nec servari a Francis potuisset, nisi Sedes Apostolica adjutrix fuisset. Captus fuit navali praelio Carolus II. & apud Aragoniam in carcere detinebatur, cum Carolus pater e vita excessit. *Vacabant* (aa) sine principe, sine auxiliis Neapolitani, Capuani, Cajetani, caeterique regni accolae. Sed affuit Sedis Apostolicae Legatus, qui consolatus afflictum & pene desperantem populum in fide retinuit; neque ullum Petrus Aragonensis apud Romanam Ecclesiam praesidium invenire potuit, quominus cum filiis & uxore extra Ecclesiam fieret, quoniam Francis fuisset injuriatus. Martinus IV. anathema in eum promulgavit, quod etiam Honorius IV. gente Sabella natus, innovavit. Nisi *Romani Consules* (bb) Francorum partes enixissime adjuvissent, *evanuisset* (cc) in carcere Carolus II. & regnum Siciliae in

(z) Classibus,
(aa) Nutabant
(bb) Romani praesules
(cc) emarcuisset

in alienas manus haud dubie perveniſſet. Quid Robertus Caroli filius hujuſmet? hic Romanam Eccleſiam ſibi clementem & benignam expertus eſt. Qualia ei & quam ***inexplicabilia*** (*dd*) cum Romano Imperatore Henrico ſeptimo certamina imminebant, niſi Clemens V. auxilio fuiſſet? qui etiam ſui cauſa Clementinam eam edidit, quam vocant *Paſtoralis* (5). Quid Carolus Roberti filius qui Florentiae dominatum obtinuit? Quos & illi favores Joannes XXII. adverſus Vicecomites Mediolanenſes praeſtitit? Qui etiam Joannes e gente Urſina cardinalem, magni nominis virum, in Etruriam, ut ipſi aſſiſteret, legatum mittere non dubitavit. Quid Johanna? Nunquid & ipſa hujus ſedis auxilia perſenſit? Fugerat ipſa cum ſecundo viro in Provinciam Narbonenſem, cum Ludovicus Rex Hungariae ulturus fratrem, quem Johanna virum ſuum interfici juſſiſſe ferebatur, ***in Apuliam trajecit*** [*ee*]. At ſequeſtre Romano Pontifice Clemente VI. qui legatum ad eam rem miſit Guidonem Epiſcopum Portuenſem, pax his legibus data eſt, ut Johanna regnum recuperaret. Sciſſum eſt deinde regnum, & ipſe Francorum ſanguis inter ſe colliſus eſt. Nam cum Ludovicus Rex Hungariae, iterum necis fraternae memor, Carolum in Italiam miſiſſet, qui poenas interfecti viri, ex Johanna depoſceret, ***& jam hic*** (*ff*) deletis Johannae copiis, & capta Neapoli, regnum in poteſtatem ſuam redegiſſet, Johannamque nova in arce clauſam obſediſſet, Ludovicus verò Andegavenſis ***ad eam deliberandam*** [*gg*] cum magna equitum manu in regnum veniſſet, & jam ſchiſma eſſet in Eccleſia Dei, & Franci, atque Hiſpani Clementem VII. Romani & reliqui ferme omnes Urbanum VI. beati Petri ſucceſſorem putarent, ut quoque Pontifex ſibi conſultum ratus eſt, ſic favores ſuos impertitus eſt; nec tamen a Francorum ſanguine regnum receſſit. Siquidem & Dyrrachienſes & Andegavenſes Francorum a ſtirpe duxerunt originem. Urbanus VI. primo amicus, deinde hoſtis Carolo Dyrrachienſi fuit, quem etiam regno privaſſe fertur (6), cum circumſeptus ***in Etruria*** (*hh*) ab eo detineretur, nec filio ejus Ladislao impuberi placatus eſt, cui & regni poſſeſſionem

(*dd*) inextricabilia

Neapoleonem Urſinum

Ludovico filio Principis Tarentini. Andraeam Hungarum

(*ee*) Congregatis magnis copiis in Apuliam, &c.

(*ff*) Etiam his

(*gg*) ad eam liberandam

(*hh*) in Nuceria

 adi-

adimere conatus est, & Ludovici Andegavensis partibus favit.

Contrariam viam tenuit Bonifacius IX. successor ejus, qui Ladislaum ad regnum restitui & coronari mandavit, Ludovici fautoribus & amicis prorsus attritis. Derivatus est in partes Romanus summus Pontifex per varias manus usque ad Johannem XXIII. qui Constantiae in magna Synodo, durante schismate, depositus, cum defuncto Bonifacio IX. Innocentius VII., & Gregorius XII. & Alexander V. in Apostolica Cathedra sedissent. Johannes autem adeo partibus Andegavensium favit, ut prius Roma pelli sustinuerit quam Ladislao conciliari velle.

Pulsus est Roma a Ladislao anno 1413.

Quid Martinus V.? Quanta hic incommoda passus est ut generi Andegavensi serviret? Adoptaverat Johanna illa Ludovicum Andegavensem sibi filium; id ratum Martinus habuit. Cum mutasset Johanna propositum, & Alphonsum ex Aragonia vocasset; non mutavit Martinus aut animum aut sententiam; sed amicus Ludovico, Alphonso semper infestus fuit. Invaserat Brachius Perusinus Aquilam, haud contemnendam Aprutiorum urbem, eamque cinctam obsidione premebat; neque dubium videbatur quin ea potitus, universum ad se regnum traheret, tanta ejus inter belli duces auctoritas erat. Martinus collecto milite, & magnis copiis magno aere paratis, inter quarum ductores *Franciscus Sfortia* (*ii*), qui nunc Mediolanensibus dominatur, tum admodum adolescens, egregiam navavit operam. Victus est in praelio Brachius captusque, paulo post ex vulnere mortuus, *obses & civitas* (*ll*) liberata, & regnum Andegavensi familiae Romanae Ecclesiae sumptibus reservatum. Cumque Alfonsus modo una, modo altera via regnum invaderet, & recentibus dietim cladibus *vigeret* (*mm*), semper Martinum adversum habuit; nec, eo vivo, potiri suo desiderio valuit, ab illius ducibus impeditus, & ab eo extra Sacramenta & communionem fidelium factus. Et quamvis graves hi essent Martino sumptus; non tamen destitit quin omnia experiretur, per quae regnum, Alfonso negatum, ad Francos integrum deveniret. Non ali-

(*ii*) Francifcus Sfortiae filius

(*ll*) Mortuus; obsessa civitas

(*mm*) urgeret

aliter Samuel regno David, quam Martinus Andegavensi domino favit.

Successit Martino Eugenius IV. & idem prosequutus, summa vi regnum Alfonso prohibuit. Missus est adversus eum Johannes Cardinalis Vitellus, & Joannes Cardinalis Tarentinus; saepe collatis signis, & Regis & Pontificis copiae inter se dimicarunt. Et quamvis Renatus regno excesserit, visusque fuerit victori Alfonso cedere; Eugenius tamen illi non cessit, sed omnem belli molem in se suscepit. Incredibile fuerit, si auri pondus retulerimus, quod Romana Ecclesia pro servando Francis regno profudit. Nam solus Eugenius longe supra *quinquaginta* (*nn*) millia auri nummum in expeditionibus absumpsit. Tacemus rapinas, incendia, caedes, & innumerabilia damna, quae subditi Ecclesiae pertulerunt, & Anconitanae Marchiae *proditionem* [oo], & multarum urbium rebellionem, quae omnia passus est potius quam Regi Alfonso blandiretur, Renato adversaretur, quem nunquam reliquit.

(*nn*) quingenta

(*oo*) perditionem

Sed neque Rex ipse Carolus, qui tempestate nostra Franciae praesidet, ab Apostolica Sede relictus est. Bis enim memoria nostra (*pp*) *Cardinalis* S. Crucis in Galliam missus est, ut quieti ejus regni consuleret, primo ex Martini decreto, secundo Eugenii. Norunt omnes cujus doctrinae, cujus sanctimoniae, cujus hic auctoritatis vir fuerit, ex cujus familia duo Romani praesules assumpti sunt, Nicolaus V. & Pius II. ambo enim illius discipuli & contubernales fuimus, ambo ex illius schola ad Apostolatum summum inscrutabili Dei judicio vocati sumus, in minoribus agentes. In Atrebatensi (7) enim magno conventu ei servivimus; sed Nicolaus major natu & meritis, majori loco apud eum fuit. In eo conventu legatus Apostolicus quamvis capitales inimicitiae inter Carolum Regem Franciae, & Philippum Burgundiae ducem vigerent, & odia hinc, & inde pene implacabilia extarent, alteri tamen alterum conciliavit, & pacem illam Atrebatensem confecit, ex qua regnum Carolo firmatum est, & solidatum, & afflictae laceratae que Franciae quies data.

(*pp*) Nicolaus cardinalis *Nicolaus Albergati S. R. E. cardinalis*

Saepe

Saepe in hunc modum Romana Sedes consolata est Francos, neque regnum unquam in calamitatem lapsum est, quin vigili cura nostri antecessores ejus saluti studuerint. Longum esset omnia commemorare quae Franci ex Sede nostra receperunt beneficia; illud exploratum manifestissimumque est, nulli unquam genti praedecessores nostros majores honores favoresque praestitisse, quam Francis. Quibus ex rebus non est cur prima sedes ingratitudinis accusetur.

Sed dicitis tacite non bona opera esse quae lapidentur, sed mala; atque idcirco displicatis regum Franciae laudibus atque meritis, ad ea transivistis, quae contra liliatos sive per nos, sive per nostros antecessores facta esse dicuntur. Tertium hoc vestrae orationis membrum, cui nunc satisfaciendum. Gravior hic locus caeteris est, in quo palam animadvertimus, regem vestrum de rebus gestis non bene instructum esse. Nec vobis ipsis omnia cognita sunt; multa enim quasi vera dixistis, quae sunt a vero remota. Non impingimus modestiae vestrae mendacium, nec quovis modo vos accusamus; ex alieno relatu locuti estis. Verba ipsa vestra cum grano salis, ut ajunt, pronunciata sunt; audita & vobis commissa exposuistis. Illos poena dignos censemus, qui vel regi, vel vobis ficta pro veris suggessere. Mala illis mens, malus animus. Ut nocerent nobis os in coelum posuere, fulmina & flammas ore conceptas tenere non po-
Ps. 57. tuerunt: *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt*
Ps. 25. *ab utero, locuti sunt falsa*. Sed *mentita est iniquitas*
Ps. 63. *sibi*, & *sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum*. Magna vis veritatis quae contra omnes hominum insidias omnes artes per se ipsam facile emergit. Recte Pythagoras post Deum veritatem esse colendam affirmavit,
III. Esdr. 4. quae sola homines Deo proximos facit. Nihil veritate fortius, ut in Esdra legitur. Et in Evangelio Salvator noster se veritatem appellat. Consentiamus igitur veritati, eique caput inclinemus, neque recedamus ab ea: audiamus quid objiciatur.

Vide Notam Accusatur Eugenius, praedecessor noster, qui Al-
1. Felini. fonso Hispano & Renati hosti Regnum Siciliae commisit,

sit, & Francorum sanguinem sprevit. Haec injuria, haec contumelia, regi Franciae facta contendimus, vilipensa, & contempta est nobilissima domus, tota eminentior Europa, toto generosior orbe, de Romana Ecclesia optime merita. Indignum facinus; Aragonenses praelati sunt Francis. Et quid hic respondebimus? Non desunt arma quibus adversantium tela repellantur. Non negamus regnum Siciliae Aragonensi commissum esse; sed hortamur Francos, ut facta sua meminerint & de se ipsis rationem reddant, & judicantes alios, ut jubet Pythagoras, stateram ne transiliant. Nemo sibi ipsi ignoscat; saepe Deum odisse deprehenditur qui se nimium diligit, & grandior in se ipsum pietas, in Deum impietas est. *Acrem (qq) sui se judicem exhibere necesse est qui alios lacessit.* Intelligamus igitur dilucide presseque Renati tum Eugenii opera eaque hoc loco referamus; exinde mundus judicet, immo vero Deus, apud quem non est acceptio personarum, quis alter alteri fuerit injurius. Adversatus est diu Alfonso, ut dictum est, Eugenius, & potius extrema omnia passus, quam illi regnum committeret.

(qq) Ante sui se judicem exhibeat necesse est, qui alios censet.

Justum & tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.

Horat. Odar. l. 3. Od. 3.

Et quamvis rex vester, alieno auscultans consilio, novam quandam legem & inauditam & incognitam prius, quam pragmaticam vocat, servari, atque Romanam Ecclesiam in juribus suis antiquis & diutius observatis turbari permisisset; non tamen perduci potuit, ut regnum Siciliae, quod est Ecclesiae peculiare, Francis adimeret, sed obsessum in Neapoli Renatum, quibus potuit auxiliis consolatus est, frumentique copiam maximam, atque vini magnam ei vim misit, quo clausum populum, & fame pereuntem in fide contineret.

De Pragmatica Sanctione extat peculiaris Pii Oratio. Vide quae ad illam dixi.

Cumque paulo post armis Alfonsi cedens Renatus, ad Eugenium Florentiae degentem venisset, ab eo benigne

nigne susceptus, investituram, ut ajunt, regni tum primum consequutus est. Ibi multa Eugenio promissa, Renato Rege, quae minime observata sunt, ex quibus quinque in hac parte referre libet, quae suis in literis continentur aurea bulla munitis, quae apud nos custodiuntur. Primo enim auri quinque millia nummum brevi se numeraturum promisit; quae nunquam postea dissoluta sunt; & cum pinguioris fortunae fuerit, alia unum & triginta millia: neque haec numerata fuerunt. Promisit Ecclesiam Arelatensem procuratori Eugenii tradere; non est tradita (*rr*). Promisit curaturum se summo studio, ut pragmatica sanctio deleretur; non est deleta. Non accusamus Renatum fractae fidei aut promissi non servati. Fortassis etiam sibi excusatio est, cur haec non fecerit, & aliqua sunt quae non erant in sua potestate; ipse tamen Eugenio nunquam satis excusatus est. Cum ergo hinc rex Franciae Romanam Ecclesiam adversus consuetudinem progenitorum impediri sineret; & Renatus neque auxilia (*ss*) *admitteret*, neque promissa servata apparerent: illinc rex Alfonsus patrimonium Beati Petri magnis exercitibus intraret, premeret, laniaret, & Franciscus Sfortia Vicecomes, nunc Mediolanensis Dominus, agrum Picenum invasisset, & Basilienses sub nomine generalis *concilii excitaret* (*tt*) turbas, cepit consilium Eugenius, quod Cardinales & viri prudentes sumendum pro tempore suaserunt. Nunc non disputamus de jure inter partes; hoc est agendum in judicio. Pacem Eugenius ab Alfonso, non utilem tantum, verum etiam necessariam accepit; eique non solum regnum promisit, sed ultro nonnulla de patrimonio Ecclesiae oppida tradidit, inter quae *Tarentina* (*uu*) fuit, quae olim *Anser* (*xx*) appellata est. Sic consuetudo belli est; pax pro victoris libidine semper emitur. Istis causis Eugenius Siculi regni titulum Alfonso largitus est, cum jam Renatus nec unam domum nec unam terrae glebam in regno possideret, & tanquam spem omnem vindicandi posthac regni prorsus amisisset, arcem novam, quae Neapoli adiacet hosti vendidisset, & nonnullis fidelitatis juramenta remisisset.

(*rr*) *Addit. in Cod.* Promisit Cardinali Andegavensi Ecclesiae suae possessionem concedere; non est concessa. Promisit curaturum, &c.

(*ss*) mitteret

(*tt*) novas excitarent *Vide Notam 2. Felini*.

(*uu*) Teracina.

(*xx*) Ausur

Nec

Nec Alfonſus ingratus Eugenio fuit, qui Picenos in obedientiam eccleſiae ſuis armis reduxit. Idem Eugenius Ferdinandum Alfonſi filium extra matrimonium natum ad regnum Neapolitanum ſive Siciliae ſucceſſionem, auctoritate apoſtolica idoneum reddidit; cui praeter geniturae maculam nil obſtabat, literis & moribus egregiè inſtituto. Neque novum eſt hujuſmodi viros ad regni faſtigia provehi. Nam quamvis ſancta lex eſt, quae vetito natos coitu dignitatibus arcet; (ſic enim incontinentia non parum coërcetur) attamen vitium patris non filii eſt: clariſſimos reges tam ex illicito, quam ex alio minus digno concubitu natos conſtat. Romulus ex Rhea ſacerdote natus, & Servius ex ancilla, Romae regnaverunt; apud Graecos Hercules clarus habetur, quamvis Alcmena eum ex adulterio genuerit; & Alexandrum Macedonem orbis dominum Olympias ex alio quam ex Philippo concepiſſe traditur; & Numida natus ex ancilla Maſſiniſſae *incognita* (yy) regnum tenuit; inter Hebraeos Jacob ex ancillis magnos ſuſtulit patriarchas, & Phares ex Thamar inde natus eſt, ex cujus progenie Chriſti nativitas ſecundum carnem trahit originem, & Jephte meretricis filius Iſraël judicavit, & Salomon ex ea quae fuit Uriae progeneratus eſt, cum qua lege noſtra matrimonium contrahere non licuiſſet. Et ne pluribus utamur exemplis, ſatis eſt Conſtantinus Magnus, qui quamvis ex Helena (8) *ſtabularia* (zz) (ſicut ait Ambroſius) genitus eſſet, Romani tamen imperii monarchiam conſcendit, & magnificè gubernavit; & Carolus etiam magnus Carolum filium extra matrimonium genitum non *ignobiliter* (aaa) praefecit. Nec plura in Eugenii apologiam.

Vide notam 3. Felini.

(yy) Jugurtha

(zz) Ex Helena, & Stabulario.

(aaa) Ignobili regno.

Nunc ad Nicolaum tranſeundum eſt, qui nationi veſtrae amiciſſimus fuit; & tamen Alfonſo regnum confirmavit; & Ferdinandi legitimationem ratam gratamque habens, extendit ampliavitque. Quod ſi hic ſalvatur Eugenius; & Nicolaus ſalvus eſt. Ille *privilegium* (bbb) dedit his, quae poſtea ſequuta ſunt. Sed procedamus ulterius. Per tempora Nicolai flagrabat omnis Italia bello: hinc Alfonſo Veneti ſocia arma conjunxerant;

(bbb) Principium.

inde Francisco Sfortia Mediolani potito Florentini ex foedere juncti, communibus viribus bellum administrabant; ardebant omnia; ubique rapinae; neque profana, neque sacra tuta erant. Elati Constantinopolitana victoria Turci, & *impunè* (*ccc*) per Rasciam & Albaniam debacchati, extremum Hungaris excidium minabantur. Operae pretium Nicolao visum est in tantis periculis de pace Italica agere, & arma, quibus cives urgebantur, in hostes vertere. Conventus apud Neapolim dictus est; eo cardinalis Firmanus ex decreto Nicolai, legati ex tota Italia se contulere: inter quos tandem pax conclusa est, & foedus promissum, cujus tamen conservatorem Romanum praesulem designarunt. In eo foedere ab omnibus recepto inter alia cautum est, ut quaecumque Alfonso rege ordinata essent, eadem omnia cum Ferdinando filio tractata & recepta esse intelligantur, quem futurum regni successorem idem foedus appellat: quod apostolicae sedis legatus amplexus est, omnis Italia recepit, & Nicolaus postea ratum habuit & confirmavit. Similiter & Calixtus egit; & nos post coronationem nostram ex consilio fratrum, vestigia praedecessorum nostrorum sectantes, ne tam salutaris pacis vinculum solveretur, foedus ipsum comprobavimus. Sed de rebus nostris paulo post agemus.

(*ccc*) Nuperrimè.

Ann. 1454. *Dominicus Capranica Card. Firmanus.*

Nunc expositis Nicolai, & Eugenii operibus, quae quantum calumniari carpivè possint plane cognoscitis, ad Calixtum transeamus, quem magnificis verbis ac laudibus prosecuti estis; nec abs re. Fuit enim doctrina singulari praeditus, & suo tempore civilis sapientiae facile princeps, & maximarum rerum experientia callens, & qui multorum mores vidit & urbes. Dicitis hunc, quamvis ejus nationis esset cujus Alfonsus, *aliique multa* (*ddd*) deberet, non tamen justitiam ejus tandem violare voluisse; sed filium ejus regno privasse. Nihil horum negavimus; verum incivile est non totum referre: supplebimus nos, quod vestrae orationi defuit & deficit. Calixtus enim mox ut pontificatum adiit, id foedus, cujus supra mentionem fecimus, ratum gratumque habuit, eoque usus est cum Jacobus Piceninus Senenses bello quateret,

(*ddd*) Illique multa

teret, adversus quem vi foederis & Venetos & reliquos Italiae potentatus excitavit; neque Alfonso regni investituram negasset, nisi Marchiam Anconitanam, & plura alia regni feuda adiici petivisset. Alfonso autem vita functo, qua ratione incertum est, Ferdinandum, quem ex foedere successorem Alfonsi in regno Siciliae acceptaverat, a regno removit. Illud certum est, quod regnum Siciliae, non ad Francorum prosapiam, sed ad Romanam ecclesiam devolutum esse declaravit. Testantur hoc ejus literae, & recens curialium extat memoria; nihil dicimus quod in promptu probare non possimus. Si vixisset diutius providus & magnanimus pontifex, vidissent omnes quo suus ferebatur & aspirabat animus, quem nemo regnum hoc generi Gallico aut quaerere, aut servare arbitratus est. Non est igitur quod magnopere ad Renati causam assumatis facta Calixti, quamvis Ferdinando regnum adimere conatus sit.

Vide notam 4. Felini.

Caeterum eo in aliam vitam translato, nos ei, quamvis indigni, & tanto ponderi prorsus insufficientes, ut Altissimo placuit, suffecti sumus. Ad res nostras modo veniendum est, quas multi lacerant, carpuntque. Homines sumus & fragiles; labimur, fallimur, decipimur. Inviti tamen erramus, & cum recognoscimus errorem, malumus illum cum nostro potius revocare rubore, quam cum subditorum scandalo damnoque retinere. Verum in hoc negotio regni Siciliae nihil factum est a nobis quod reprehensione dignum existimemus, quamvis illud Ferdinando concessimus. Sed accusamur quod illegitimo & inhabili eximiam regni dignitatem & coronam elargiti sumus; quod inclytam Francorum domum sprevimus & abjecimus; nec oratores Caroli & Renati audire dignati sumus. Haec summa est accusationis; eo omnes orationis vestrae nervi tendunt? Parum est, quod Eugenius, quod Nicolaus, quod Callixtus fecit. Pius est, qui (*eee*) Francos, qui nationem Gallicam, qui aequitatem justitiamque contemnit; in Pium omnia tela cadunt. Tolerabilia sunt quae nostri antecessores fecerunt; quod nos facimus ferri non potest. Illi excusati; nos injusti, nos ingrati, nos impii sumus, quamvis Pii nomine vo-

Vide notam 5. Felini

(*eee*) Qui plus caeteris ausus videtur. Pius est qui Francos, &c.

citemur. Sed non deest nobis animus quo purgemur. Dominus auxiliator noster, non timebimus quid faciant nobis homines: bonus & misericors Deus qui non patietur tentari homines supra vires suas, neque nos impingi falso crimine finet, quod refellere non valeamus. Comprehendimus vestris ex dictis, neque vobis, neque regi vestro veritatem omnem esse detectam; sed dicta esse quae contra nos viderentur; tacita quae pro nobis adduci poterant. Nam quid majus est; sequi, an praecedere? Nos apertum a praedecessoribus iter sequuti sumus, & monstratam viam tenuimus; nihil plus egimus quam nostros antecessores egisse reperimus. Dicat aliquis, per viam publicam ne ambules, quod Pythagoricum fuisse praeceptum Hieronymus affirmat; & hoc exponitur, idest multorum ne sequaris errores; nos autem (fff) Eugenium aut Nicolaum sequi arbitramur, quos fuisse praesules rectissimi judicii, & integerrimae vitae constat.

(fff) Nihil erasse aut Eugenium aut Nicolaum arbitramur.

Sed aperiamus amplius innocentiam nostram; factaque nostra, non solum exemplo & auctoritate, verum etiam ratione defendamus; & quo in statu esset ecclesia cum summi praesulatus ascendimus cathedram, ostendamus. Audite nunc: longa res est, at breviter explicabitur. Invaserat Jacobus Picininus agrum ecclesiae, non ignobilis nostri temporis copiarum ductor; Assisiorum arcem per proditionem praefecti arcis obtinuerat, & urbem exinde in potestatem acceperat; Nuceriam quoque invaserat, & oppidum *Evardi* (ggg) *potius* (9), arcem summa vi oppugnabat. Timebant vicini Fulginates; nec minus Spoletani, quorum arcis praefectus ad Picininum inclinare videbatur, munitaque loca ecclesiae in manibus Catelanorum detinebantur; quos etsi fideles, constantesque putaremus, nexns tamen & amor nationis timorem incutiebat ne cum Ferdinando sentirent, qui regno Siciliae, nemine adversante, potiebatur. Fuerunt apud Capuam conventus principum; omnes illi jurejurando fidem ut regi suo praestiterant; nec una quidem vox audita fuerat, quae Renatum desiderare videretur. Quieta omnia in regno erant; petebatur a nobis, ut Ferdinandum investiremus; instabant Veneti jure foederis;

(ggg) Gualdi potitus.

deris; instabat dux Mediolani; instabant Florentini; ajebant omnes non posse illi regnum negari, quod patris ultima voluntate & omnium populorum assensu recepisset. Picininus qui jam tria oppida ecclesiae occupasset, nisi Ferdinando, cui militabat, regnum committeremus, maximum subditis nostris malum illaturus videbatur. Pacem Romani, pacem Umbri, pacem Picenates, pacem omnes per circuitum petebant; omnis mora gravis; omnis contradictio periculosa judicabatur. Nobis nihil antiquius videbatur, nihil animo nostro fixius haerebat, quam conventum Christianorum facere, in quo de retundenda Turcorum insolentia, & Christianorum sanguine defendendo tractaremus. Imminebat ecclesiae gravissimum & periculosissimum bellum, si Ferdinandi postulatis adversaremur, nec nobis vires erant quibus resisteremus, nec Massiliensis episcopus a Renato missus aliud tulerat quam verba dubia & incertas promissiones; spes in Renato longinqua & auxilium dubium; in Ferdinando propinquus hostis & apertissimum damnum. Nec rex Franciae apud nos legatum habuit, ut *nobis persuasum esse videremus*, quamvis decanus Carnotensis Romae tunc ageret, qui ad Callixtum missus, Turcorum, non regni Siciliae causam tractaturus venerat; & mortuo Callixto nihil habebat quod nobiscum ageret, nec verba ponderis habebat extincta legatione; quamvis impulsus ab aliis aliquando nos in hac parte compellaverit. Quid faceremus? Armane movere pro regno ejus oportuit, qui nihil curare videretur, otiosam vitam domi agens? imparibus ne hosti viribus occurrendum, illidendumque muro caput fuit? castra & arces ecclesiae perdere, patrimonium beati Petri dilapidare, subditos omnes rapinae & neci obiicere, defensionem fidei negligere debuimus?

(*bbb*) ut vobis persuasum esse videmus.

Profecto non ita nobis & fratribus nostris visum est; sed cum aliud non possemus, Ferdinando potius morem gerere (*iii*), quam religionis, quam fidei defensionem negligere, maluimus. Conceduntur enim multa necessitati, & inter duo mala minus eligitur. Quid igitur fecimus? Nil amplius sane quam antecessores nostri fecerunt; quamvis illi Alfonso, nos Ferdinando commisimus. At cui Ferdi-

(*iii*) quam Romanam ecclesiam tot periculis exponere, quã religionis

dinando? Nempe filio regis, etsi non legitime nato, auctoritate tamen apostolica legitimato, & haeredi a patre rege destinato, & instituto, & a regnicolis recepto, nobis vi percussi pridem foederis ab universali Italia commendato; regni etiam possessori, sive, ut vos vultis, occupatori. Nihil juri vestro detrahimus; nec tamen huic tot favoribus munito aliter regnum commisimus, quam si necessarium esset; idest si ad nos devolutum existeret, aut si illi jure haereditario deberetur. Et quis haec damnare potest? Si pater ejus rex fuerat, eumque legitimatum haeredem instituerat, injuria erat paternum regnum ei negare; si nostrum devolutione fuit, licebat nobis cui vellemus dare, & illi dare voluimus; si ad Francos regemve Renatum pertinuit, aut ad alium pertinuit, nihil ei dedimus, neque dare voluimus. Reservavimus enim nostris in literis aliorum jura, quod antecessores nostri non fecerunt. Quid igitur calumniamur? Quid reprehendimur? Quis non intelligit pio regi vestro & vobis dictas esse nugas, quibus persuasum est nos Francorum inclitam domum regno privasse, qui neminem privamus, nemini jus abstulimus, nemini derogamus?

Vide notam 6. Felini.

At si devolutum erat (dicat fortasse aliquis) praeferendi sunt Franci. Praetulissemus si tam prope fuissent quam Ferdinandus, & non nobis tantum impendisset discrimen, atque necessitas coëgisset. At grave est coronatum esse Ferdinandum. Certè si jure investitus est, justè quoque coronatus est; si jure caret, nihil ei corona confert. At populorum favorem ei conciliat. Cum jussimus coronari, non erat favore opus; omnes ei pupuli proceresque favebant. Conventum insuper erat, coronam illi dandam esse cum peteret, quemadmodum antecessores nostri Eugenius, & Nicolaus cum Alfonso patre convenerant. Non potuimus petenti negare & promissis obviam ire. Nam si privati homines ex pacto tenentur, & principes teneri non est ambiguum. (III)

(III) Nihil foedius est quam princeps fidei fractor. Ps. 118.

Nota est omnibus modestia & integritas vestri regis; nunquam ille ex nobis peteret, ut promissa rescinderemus, quorum tanta vis est, ut Deus etiam ex his compellari possit, dicente propheta: *Memento Domine verbi tui,*

tui, in quo mihi ſpem dediſti. Dicitis fortaſſe nos coronam non debuiſſe promittere. Verum eſt ſi non licuit inveſtire; at ſi licuit illud, & hoc licuit. Sed de juſto, licitoque certamine, contendentibus inter ſe partibus dimittamus. Nos ſi de facto noſtro conveniamur, non reperiemur inermes. Et jam ſatis noſtra in parte oſtenta eſt rectitudo.

Nunc illud attingamus, quod de Aquilanis & aliis pleriſque objectum eſt, quos ſe nobis dedere volentes rejecimus, ut aſſeruiſtis, ne Ferdinando incommoda daremus. Laus noſtra haec eſt, qui Ferdinando fidem conſervavimus; neque parti veſtrae injuriati ſumus, cum nobis illi, non Renato ſeſe ſubiicere vellent. Nos certè nihil aliud facere decuit, ſive ante inveſtituram, ſive poſt, ne regnum divideremus, quod tunc erat unitum.

Rurſum & illud reprehendiſtis, quod equites regnum petentes qui militare Ferdinando vellent, tranſire permiſimus; qui ei adverſarentur, his iter clauſimus. Neque haec negamus; Sed decuit nos ita facere. Et hoc quoque ad fidem noſtram ſpectabat, ut ſalvum eſſe vellemus, qui ex nobis regnum accepiſſet. Neque hoc Francis moleſtum eſſe debuit, neque ex vobis tranſitum petiit qui Renati cauſam eſſet acturus, cujus nominis in regno mirum ſilentium erat. Princeps Tarenti primus omnium adverſari Ferdinando coepit; non quia regem eum eſſe negavit, ſed quia inſidias ab eo ſibi paratas diceret. Nam quoties ad nos ſcripſit, ſemper Ferdinandum regem appellavit, nec aliud ex nobis petiit, quam ſecuritatem, ne ſub illo rege periret. Promittebamus id ſibi. Caeterum ſumenti arma contra dominum miniſtrare auxilia non debemus, neque miniſtrantibus locum dare; ſed miſimus legatum, qui rebus inſpectis regni regem principi conciliaret, quod & factum eſt, Venetorum oratoribus intervenientibus; quamvis poſtea nova exorta diffidia ſimulatam fuiſſe concordiam oſtenderint; ut ficta quaecumque diuturnitate rerum innoteſcunt. Noſtri officii erat pacem in regno quaerere, ut ſive Renati, ſive Ferdinandi ſit, integrum potius, quam laceratum ſuo domino pareat.

Sed

Sed imputatis nobis quod Jacobo Picinino in regnum transire volenti, quamvis Renato stipendia faciat, iter praeclusimus. Nihil certi nobis de stipendiis constat; licet vulgo ita feratur, cujus rumores saepe inanes falsosque vidimus. Illud certum est, iter a nobis Jacobum nunquam petivisse. Sed arguitur negatio ex copiis quas misimus in Etruriam ex agro Bononiensi, ac ex aliis gentibus quas misimus Marchiae saltum & Apenninum (*mmm*) tueri. Id nos tutelae nostrae causa fecimus, veriti ne Picinini transitus, cujus non parvae copiae esse feruntur, agrum ecclesiae laederet, aut mutationem aliquam in oppidis nostris, ut antea, faceret, in quibus plurimi sunt inquieti homines, & rerum novarum cupidi. Nec quispiam arguendus est, si res suas diligenter custodit; in qua parte periculosius est nimis sperare, quam timere nimis.

(*mmm*) Apennini claustr.

Atque hoc modo singulis objectionibus respondisse sufficiat. Quod si non omnibus verba nostra fidem faciunt, satis est nobis, quia nemo adversus ea quae loquuti sumus absque mendacio loqui potest. Nunquam enim aut regi Franciae, aut Renato nocere studuimus, sive facta nostra, sive vestra inspiciamus. Sed minimè pari modestia erga nos Renatus (*nnn*) est. Testis est ipse modestissimus Francorum rex, qui Renati oratores adversus nos multa loquutos audivit. Testes sunt quamplurimi Germaniae principes, ad quos Renati literae pervenerunt, nos partiales ac injustos appellantes qui domum Franciae regno Siciliae *privavimus* (*ooo*). Testes sunt subditi ejus de Provincia & in Lotharingia, quibus imperatum est, ne nostra mandata susciperent. Testis est cardinalis Fuxi, grandaevus & fide dignus senex, qui ad nos scribens, idcirco literis suae legationis per Provinciam jussu Renati non esse paritum affirmat, quoniam in earum calce pontificatus nostri annus annotatus est. Nolentes enim & inviti referimus, non ut regem Renatum sugillemus, sed ut nostram *obedientiam* (*ppp*) ostendamus. Nam quantum ad regem attinet, nos eum & pium, & mansuetum existimamus, & accusari potius ab eo, quam accusare eum volumus, & injuriam pati, quam

(*nnn*) Usus est.

(*ooo*) Privaverimus.

(*ppp*) Patientiam.

quam facere. Audivimus apostolum dicentem: *Non vos ulciscentes, cariſſimi, ſed date locum irae; mihi vindictam, & ego retribuam*. Sed nec vindictam poſcimus, Deum potius rogamus, & enixe precamur, ut huic regi benignus ſit & clemens; quando per obedientiam publicè praeſtitam Romanae ſedi & matri, & alumnae ſuae reconciliatus eſt. Fuerat bonus & mitis princeps, ut videmus, de veritate non bene inſtructus; & quod (*qqq*) *ſummum eſt*, credens ſe laceſſitum injuriis, non potuit tacere, non laceſſere; ſed cito ignis ſtipulae conticeſcit, & exundans flamma deficientibus nutrimentis paulatim evaneſcit. Caveat tamen rex ipſe, ne ſedem apoſtolicam laceſſendo, in eas incidat poenas, quibus vaſalli contra dominos committentes plectuntur. *Rom.* 12.

(*qqq*) Humanum eſt.

Illud autem nobis grave, & Chriſtianae *religioni* (*rrr*) periculoſum, & valde noxium eſt, quia ſtante hoc conventu Mantuano, & nobis pro tutela fidei laborantibus, claſſis Januae armata eſt, & in regnum miſſa, & novus ignis accenſus, & omnis Italiae turbata quies. Non erant haec tempora quae novas inter Chriſtianos lites cuperent. Cum Turcis nunc depugnandum erat; pro fide, pro religione certandum. Divinus honor tuendus, quem Turci conculcare nituntur. Quo loco ſatis admirari non poſſumus *de providentia* [*sss*] *& intentione regis*, qui cum annos *duos & viginti* (*ttt*) tacuiſſet, nunc demum arma ſumere & regnum vindicare adorſus eſt, iniquo & inopportuno tempore; idque clam nobis, ad quos directum hujus regni dominium ſpectat, & de omni controverſia in eo judicium. Quibus ex rebus aperte cognoſcitis, potentiſſimi oratores, non nos eſſe qui Carolo R natove clariſſimis regibus, vel domui Franciae ſumus injuriati; ſed potius nobis & Romanae ſedi contumeliam irrogatam, quam pro Deo Salvatore noſtro parvi fecimus, ſcientes quod cum flagellamur, cum vituperamur, cum ſcandalum patimur, tunc Deo curae ſumus, dicente ſcriptura: *Veh mundo a ſcandalis*; &, *quem Deus diligit, corrigit & caſtigat*; *Mat.* 18. *Ibid.* 12.

(*rrr*) reipublicae.

[*sss*] De prudentia, & in commune bonum charitate regis.

(*ttt*) Duodeviginti circiter.

Sed jam tempus eſt, ut ad petitiones veſtras deſcendamus, quae hujus ſummae ſunt. Ut reſcindantur quae-

cumque Ferdinandi gratia facta sunt, regnum Renato concedamus, homagium ab eo recipiamus, legatum mittamus, qui Renati partes consoletur. Ferdinandum terreat; huic favores accumulet, illi auferat; Picinino denique iter in regnum aperiamus. Postulata haec cum audivimus, intelleximus omnes in sua causa nimis affectos esse, idque vobis accidere. Nam cum paulo ante questi sitis, quod inaudito Renato rege, incognita causa, Ferdinando regnum commisimus; nunc tamen inaudito Ferdinando, quae sunt ei concessa rescindi postulatis. Cur hoc vestrae parti arrogatis, quod alteri non debuisse concedi affirmatis? Ut par pari referatur dicat aliquis. Verum haec imparia sunt; nos Renato nihil abstulimus, ut ante monstravimus; vos quidquid concessum est Ferdinando retractari revocarique petitis (uuu) *abrogando*. *Igitur* audienda est alia pars; consulto matureque procedendum est, ne sine causa jus quaesitum, si quod est, auferatur. Cumque nos ipsi simus qui primo in Aragonensem jus regni transmisimus, & adversarius vester magnam regni partem obtineat, exigit ratio, exposcit aequitas, requirit consuetudo, jubet antiquitas prius audire partes quam juris cujuspiam detractio fiat. Quod si juris iter placet, deponenda sunt arma, & legibus disputandum; nos aequi judicis partes tenebimus. Nam quid nostra interest, uter vestrum possideat regnum? Quippe si discussa causa constiterit Renati regnum esse, aut ei deberi, non solum quae petitis, sed majora horum faciemus.

Vide notam 7. Felini.

(uuu) At ubi de jure alieno abrogando agitur audienda, &c.

De itinere comitis Jacobi aperiendo, nisi ab eo petatur, & nisi se Renato militare fateatur, non videmus quid respondere possimus; nec nobis satis est quia securitatem *promittitis* (xxx). Nam contra tenentes arma, sola post Deum securitas est in armis. Cognoscimus nostri temporis milites, & quantum eis credere oporteat non ignoramus. Tritum est illud apud eos detestabile *verbum* (yyy): si violandum est jus, regnandi causa violandum?

(xxx) Promittat.

(yyy) Proverbium.

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.
Venalesque manus: ibi fas, ubi plurima merces.

Nos

Nos & armis, & orationibus piorum res ecclesiae servare studebimus; si decipiemur, si violabimur, ipse Dominus *judex* (zzz) erit qui ait Petro: *modice fidei quare dubitasti?* Praesentia & futura in manu Dei sunt; ipse nos secundum voluntatem suam dirigat, & ad eam etiam vestrorum (*aaaa*) *manus*, mentesque trahat, pacemque illis Christianam suadeat; qua nihil dulcius, nihil suavius inveniri potest. Etenim cur non potius dimissis armis, aut per communes amicos, aut legibus, aut jure haec lis regni dirimitur? Si bellum eligitur, hoc est quod milites optant, *equites hoc* [*bbbb*] illi immortale cupiunt esse; hinc aluntur, hinc pinguescunt, hinc & ad principatus, & ad regna conspirant. Satius fuerit regnum amittere, quam eos alere canes, qui omnes regni opes, & ipsos denique reges devorent.

(zzz) Vindex. *Math.* 14.

(*aaaa*) Vestrorum, etiam regis, cordi mentesque trahit.

(*bbbb*) Equites peditesque.

Exposcit praeterea tempus hoc, ut Christiani sepositis inter se odiis, concordibus animis atque studiis ad tutelam fidei se accingant, & tela quae viscera nostra fodiunt, Turcorum pectora feriant. Juvate nos, oratores, & ingenia vestra accendite, aperite media, excogitate vias, quibus non solum hae lites regni, sed aliae quoque Christianorum controversiae sopiantur. Audiemus consilia vestra, judiciis vestris plurimum tribuemus. Nolite nobis, nolite Christo deesse; Christi hoc negotium est. (*cccc*) Nihil deerit: quidquid in nobis consilii aut auxilii erit, studii, diligentiae, vobis & reipublicae in hac parte communicabimus. Nostro judicio nullo pacto ferendum, ut haec regni dissensio latius efferatur; aut pace, aut judiciis componenda est. Si ferro dirimitur, actum est de regno, & verendum, ne hoc incendium per omnem Italiam latius evagetur. Injuriosi essemus & inimici patriae, si pro nostra virili parte pacare Italiam non curaremus. Dissidentes in Germania principes per legatos *conciliamus* (*dddd*); & nunc viscera nostra patiemur evelli, Italiam lacerari, regnum ecclesiae incendi, diripi, desolari? Non fient haec nobis volentibus. In Turcos qui vere *Christianus* (*eeee*) est, in Turcos armari debet, & Christiano parcere sanguini, non debet Renato durum videri, si pro communi salute paululum ar-

(*cccc*) Ex latere nostro nihil.

(*dddd*) Conciliavimus.

(*eeee*) Christianissimus.

ma continere cogatur, qui per tot annos nullo rogante conticuit. Cogitemus tandem quo pacto regnum hoc quietum reddatur; & non finamus portam hanc Turco aperiri. Nihil enim ille magis cupit, quam vires Italicas inter se concurrere, ut tandem ab his vocetur qui fuerint debiliores, ficut in Graecia factum est. Diffidentibus enim inter se Constantinopolitanis imperatoribus, vocati in auxilium Turci (10) ab iis qui erant inferiores, utrumque oppresserunt. Agite, praestabiles oratores, incumbite huic parti, consulite in medium quae pacis sunt. Nam hoc potissimum est, quod sapientissimum regem vestrum vobis mandasse in literis ejus vidimus. Intellexit sua prudentissima Serenitas ad domandam Turcorum saevitiam Christianorum pacem atque concordiam necessariam esse, ejusque rei curam in hoc conventu vestrae circumspectioni commisit. Expectamus quae media quaerenda pacis afferatis. Maximi & potentissimi regis vices geritis, multum in vobis situm est; imperator eo animo est, ut pax per omnem Christianitatem reformetur; idem propositum nostrum est. Si eo concurrit rex vester, concurrent & alii quamplurimi, & cessabunt tandem civilia, & intestina bella; vertentur Christianorum tela in hostes fidei; sentient Turci quam valeat Christianus miles, & quantus in hostes assurgat Christianus rex vester. Consensu populorum nationumque vocitatur Christianissimus, magni honoris nomen gerit; servanda est, & ad posteros transmittenda haec dignitas virtute majorum quaesita. Verum sicut imperia, ita & egregia cognomina his artibus retinentur, quibus ab initio parta sunt. Franci autem ab initio pro defensione, & augmento catholicae fidei, pro tutela & gloria Romanae sedis, nulla timuerunt pericula, nullos declinaverunt labores, nullos fugerunt sumptus; sed delicias, voluptates, regna, imperia, ipsam denique vitam pro communi salute contempserunt, & nunc in Europa, nunc in Asia, cum adversus inimicos Crucis depugnarent, Christianissimi jure merito vocati sunt. His nunc itineribus incedendum est, ut haereditas tanti nominis conservetur.

Ve-

Veniſtis, oratores, ad hunc conventum, qui de commuui Chriſtianorum ſalute ſolicitus eſt; rex maximus, & potentiſſimus vos miſit, in quem oculi omnium reſpiciunt, cujus progenitores ſaepe rem Chriſtianam tutati ſunt: Audiamus quam rebus afflictis conſolationem afferatis. Non ambigimus, quin vobis multa commiſſa ſint. Conſulite in medium quae pacis inter Chriſtianos, quae belli contra Turcos ſint; & ſpem, quam de veſtro adventu concepimus, implete. Sapientes viri eſtis, & periculum in quo eſtis & ſumus, agnoſcitis. Chriſti an Machometi lex plus valeat in certamen jam venit. Ferus ille & terribilis coluber evangelium noſtri Salvatoris ex Aſia deturbavit; AEgyptios, Afros, Mauros, & Hiſpaniae partem ſuae veſaniae ſubegit, & diebus noſtris Bizantium, regiam urbem, & imperii occidentalis quondam caput, armis evicit, & uſque ad Danubium & Savum ſigna protulit. Jam Hungaris imminet, jam jam Germaniae & Italiae ſervitutem minatur; nec ceſſabit victoriam ſequi, niſi magno reſiſtimus animo. Taedet referre quanta patiuntur infelices Chriſtiani, qui proximi ſunt rugienti & ſaeviſſimo Leoni. In ſervitutem pueri capiuntur, matronae ac puellae libidinem foediſſimae gentis replere coguntur; virorum alii cruces, alii palos ſubeunt; quidam exemplo Iſaiae ſecti per medium animas tradunt; quibusdam etiam vivis in morem Bartholomaei cutis adimitur; nullum tormenti genus noſtri non ferunt: non aetati, non ſexui parcitur; ſanguis omnium qui pereunt ex noſtris manibus requiretur. Jam *Ruſſiani* (*ffff*) aetate noſtra deſciverunt a fide, jam *Bohemi* (*gggg*) defecerunt. *Bulgaria* (*hhhh*) & Graecia tota Turcarum eſt, niſi Peloponneſi portio quaedam. Albani exhauſti ſunt, Hungari feſſi, Valachi *exterriti* [*iii*], niſi opem ferimus, aut fugere, aut ſeſe dedere, & cum perfido Machometo Chriſtum blaſphemare cogentur. Et nos interim miſeri inter nos contendemus? Abſint hae lites, faceſſant [*llll*] jurgia, reſurgat pax, ſi non perpetua, ſaltem temporalis, donec Turcorum peſtis ab Europa deijciatur. Quod facile fiet ſi magnus & pius veſter rex ſuas manus, ſuas operas interpoſuerit, & vos ipſi

(*ffff*) Raſſienſes.

(*gggg*) Boſnienſes.

(*hhhh*) Hungaria.

(*iiii*) Extincti.

(*llll*) Chriſtianorum jurgia.

ipsi totis assurgatis viribus, consulendo, dirigendo, agendo, nihil omittendo usquequo pace inter Christianos composita, terrestris & maritimus exercitus ducatur in Turcos, adversus quos raro sine Francorum sanguine feliciter pugnatum est.

Caeterum quia pragmaticae sanctionis superius incidit mentio, cujus secreta magis pulsavimus, quam aperuimus; urget nos *(mmmm) congruentia*, immo vera charitas, qua genti vestrae devincti sumus priusquam finem dicendi faciamus, de ea aliqua libare, ne taciturnitas nobis indulgentia reputetur, & quod sanabile vulnus est, fiat mortale, & nos a consortio vestro oporteat abstinere, quoniam sicut in veteri lege sancitum est, *supra omnem animam, quae mortua est, non ingredietur pontifex*, quod teste Hieronymo perinde accipiendum est, ac si dicat: ubicumque peccatum est, & in peccato mors, illuc pontifex non accedet. Cupimus sanctam esse Francorum gentem, & omni carere macula, & cum apostolo dicere: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. At hoc fieri non potest, nisi haec sanctionis macula seu ruga deponatur, quae quomodo introducta sit, ipsi nescitis. Certe non auctoritate generalis synodi, nec Romanorum decreto pontificum recepta est, quamvis de causis ecclesiasticis absque placito Romanae sedis stare non possit.

(mmmm) con scientia.

Levit. 21.

Ferunt aliqui idcirco initium ei datum, quia nimis onerarent Romani pontifices regnum Franciae, nimiasque pecunias corraderent. Mirum si haec ratio Carolum movit, quem praedecessoris sui magni Caroli decebat imitatorem esse, cujus haec verba leguntur: „ In memoriam beati Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam ecclesiam & apostolicam sedem, ut quae nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat ecclesiasticae magistra rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas; & licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus. „ Non est credibile, Carolum qui modo regnat, suo sensu hanc pragmaticam introduxisse. Deceptum putamus, & piae menti suggesta fuisse

ca. *In memoriam*, D st. 19.

non

non vera. Nam quo pacto religiosus princeps ea servari sivisset, quorum praetextu summa sedis apostolicae auctoritas laeditur, religionis nostrae vires enervantur, unitasque ecclesiae, & libertas perimitur? Verbum durum, durius factum. Audite patienter, hortamur. Vulnera quae putrescunt, non olei lenitate, sed vini potius austeritate sanantur. Non ponderamus causarum auditionem, non beneficiorum collationem, non alia multa quae curare putamur. Illud nos angit, quod animarum perditionem, ruinamque cernimus, & nobilissimi regni gloriam labefactari. Nam quo pacto tolerandum est, clericorum judices laicos esse factos? pastorum causas oves cognoscere? siccine regale genus & sacerdotale suum? Non explicabimus honoris causa quantum diminuta est in Gallia sacerdotalis auctoritas, *& melius (nnnn) norunt*, qui pro nutu saecularis potestatis spiritualem gladium nunc exercent, nunc excludunt. Praesul vero Romanus, cujus parochia orbis est, cujus provincia nec Oceano clauditur, in regno Franciae tantum jurisdictionis habebit, quantum placet parlamento. Non sacrilegum, non patricidam, non haereticum punire permittitur, quam is ecclesiasticum, nisi parlamenti consensus adsit, cujus tantam esse auctoritatem nonnulli existimant, ut censuris etiam nostris praecludere aditum possit. Sic judex judicum Romanus pontifex judicio parlamenti subjectus est. Si hoc admittimus, monstrosam ecclesiam facimus, & hydram quandam multorum capitum introducimus, & unitatem prorsus extinguimus. Periculosa haec res esset, venerabiles fratres, quae hyerarchiam omnem confunderet. Nam cur regibus, cur aliis praesidibus sui subditi parerent, cum ipsi superiori suo non pareant? Quam quisque legem in alium statuit, eam sibi servandam putet. Verendum est ne prope adsit quod ad Thessalonicenses videtur significare Apostolus, quia post discessionem (oooo) homo peccati. Adventum quippe Antichristi solicitant, qui discessionem a Romana ecclesia quaerunt, qualem praeseferre videntur, quae sub obtentu pragmaticae sanctionis fieri dicuntur.

Vide Notam 8. Felini.

(nnnn) Episcopi melius norunt.

2. Thess. 2.

(oooo) Revelabitur.

Sed credimus haec, ut ante diximus, regi vestro ir-

co-

cognita esse, cujus natura benigna est, & inimica mali. Docendus est & instruendus, ne pestem hanc debacchari amplius, & animas interficere sinat. Vos (pppp) lucernae estis ardentes coram eo, & candelabra lucentia in domo Domini; sic lucete, ut lux vestra tenebras omnes ac caligines pragmaticae sanctionis ex nobili & Christianissima Francorum gente depellat; solumque lumen solis, idest veritatis splendor, & veritas eluceat. Quod si rex vester opera vestra fecerit, & vos mercedem recipietis a Domino, & (qqqq) par suis progenitoribus, majorque per omnes orbis ecclesias & in Romana potissimum jure merito & erit & vocabitur Christianissimus.

(pppp) Vos Episcopi Lucernae.

(qqqq) Et ipse par.

NOTAE

Quaedam Felini.

1. Accusatur Eugenius quod Alfonso, &c. *Carolus Gallus rex Apuliae dixit Martino IV.* non dixi vobis, Pater Sancte, quod rex Aragonum est fallax hircus, nam conspiravit ad ejus ruinam cum Palaeologo Graeco?
2. Coepit consilium Eugenius. *Investitura Eugenii in persona Alfonsi fuit* 1443. *id. Julii, an. XIII. Eugenii, & ibi facit mentionem de arrogatione Reginae Joannae scilicet de Alfonso; vult ut illegitimi non succedant; ponit formam juramenti & censum 8m. unciarum; pro investitura autem Lmilia marcharum sterlingorum, & multa circa conservationem libertatis ecclesiasticae.*
3. Idoneum reddidit. *Illegitime genitos in libro quodam Camerae tempore Eugenii fo.* 28.

Regnum Apuliae jure hereditario spectat ad Aragonienses; quia una filia Manfredi regis Siciliae fuerat uxor Petri regis Aragonum; hoc verbum incidenter Anton. Chron. tertia parte. Illa vocata fuit Constantia filia Manfredi &

& neptis Coradini ex sorore, & Nicolaus III. inde suasit Petro ut jure haereditario Constantiae uxoris praetenso regnum adniteretur. Blon. 210. in prin. & cap. LXX. 3. col. 6.

4. Ad Romanam Ecclesiam devolutam esse. *Non facit mentionem de legitimatione Ferdinandi facta per Eugenium, in qua habilitatur Ferdinandus ad regnum, quod videtur impedire devolutionem.* Addit etiam. *Hoc fuit 1458. IV. id. Julii, bulla est in lib. Camerae tempore Calixti fol. 138. & habetur bulla Calixti pro intimata toti mundo, propter ea, quae ibi dicit, circa publicationem; loquitur in genere de devolutione; offert justitiam querelaturis. Gallos non nominat.*

5. Sed accusamur. *Si dicant Franci: debebam vocari, & judicialiter audiri, quando in praejudicium nostrum papa investivit Aragonenses. Solutio. Quando Clemens IV. investivit Carolum fratrem Ludovici regis, non vocavit Coradinum nepotem Friderici II. ad quem ex morte Henrici patris vere spectabat regnum, quod Manfredus frater Coradini occupavit expulso Coradino. Si ergo peccat in hoc titulus Aragonensium, peccavit & in eodem titulus Francorum.*

Deficiente postea linea masculina Friderici II. ex morte Manfredi Conradi & Coradini, successio spectabat ad Constantiam filiam Manfredi, uxorem Petri Aragonensis.

6. Quod nostri antecessores non fecerunt. *Pius dixit. Quatenus sit devolutum, quod Eugenius & Nicolaus non dixerunt.*

7. Ut par pari referatur. *Non erat in hoc justa petitio quod gesta parte non citata irritentur non citata parte victrice, ut per Innoc II. cap.* quidam, *de elect. cum concord.*

8. Diminuta est in Gallia Sacerdotalis authoritas. *Male erat informatus Pius: quoniam in pragmatica, quam habeo impressam in libello quodam, qui dicitur* Stili Curiae, *non dicuntur ista. Imo episcopis reservatur debita potestas, & ipsi Romano Pontifici. Sed aperte acceptantur a rege & regno decreta conciliorum Constantiensis, Senensis, & Basileensis, in quibus est sanctissima renovatio*

Vide quae adnotavi ad Orationem de extinctione Pragmaticae.

vatio antiquorum canonum, abolendo expectativas, reservationes, annatas, & multa ad impinguandam solum curiam, per modernos lupos introducta; electionum formae, & confirmationes caeteraque in primitiva ecclesia determinata sanctissimis, & justissimis rationibus renovantur. Nisi forte tempore Pii parlamentum regis egressum fuerit metas illorum decretorum.

NO-

NOTAE

In Responsionem ad objecta Gallorum.

1 PEtivistis archipraesulem ejus urbis. *Is erat Paulus de Campo Fregoso, dux & Archiepiscopus Genuensis; quem a regimine amovere nitebantur Galli, urbem Genuam tunc tenentes. Cujus rei gratia pelli illum ex urbe tentaverint accipe ex veteri authore Annalium Foroliviensium Rer. Ital. to. XXII. pag.* 215. *ad A.* 1461. Januae rumores & bella inter armigeros Francorum, qui cum parte civium pro rege Franciae gubernabant ibi; & gentes armorum Pii papae ac Regis Ferdinandi cum illis de Campo Fregoso aspere & mortaliter committitur; ex quibus cum decem millia Francorum militarent, IV. millia ferro periere.

2. Petrini quondam Januensis ducis. *Petrus Fregosus Genuae dux renunciatus anno* 1450. *circiter. Petrini cognomine vir notissimus; Potentia plurimum & armis valuit; quibus Gallos Genuensem principatum occupantes afflixit plurimum. Quid causae habuerint haeredes ejus cum Avenionensibus mercatoribus ignorare me fateor.*

3. Danos Normannosque. *In Lucensi codice pro* Danos *est* Aquitanos; *sed revera legendum* Danos *censeo; cum Normannos ex Dania vulgo Historici accersant. Vide Spondan. in epit. Ann. Baron. A.* 845. *IV. Gallias saepius excurrerunt, cladibus latis vicissim & relatis, quos tandem Carolus Calvus repressit. Saxones edomuit Carolus Magnus. Bohemos pariter Polonosque Carolus Magnus intra ordinem continuit; idemque & Longobardos contrivit. Nec alius a Carolo Magno Francus ille fuit, qui Adefonso Asturiae & Galatiae regi suppetias tulit, quo Ulyssiponem e Mauris reciperet. Vide AEneam in Epit. decad. Blondi lib.* 1. *& lib.* 2, *decad.* 2. *Campaniam atque Apuliam e Grecorum manibus Northmanni*

manni eripuerunt; sed illi quidem Northmanni qui sedes suas in Gallia constituerant.

Denique *Francorum trophaea ex sacris ad Palaestinam expeditionibus relata aetas omnis celebrat.*

4. Quis scholam illam Parisiensem, &c. *A Roberto de Sorbona fundatam domum alendis pauperculis in Theologia, Lutetiae studentibus, anno 1250. Clemens IV. omnium primus bulla sua confirmavit, anno 1268. Caeteri postmodum Romani pontifices novis subinde gratiis ac beneficiis pium hoc institutum promoverunt, atque in eum splendorem duxerunt, quo nunc claret.*

5. Sui caûsa Clementinam Pastoralis edidit. *Henricus imperator diem dixerat Roberto Siciliae regi, laesae majestatis reo accusato, quod scilicet cum aliquibus Imperii civitatibus in ipsum conspirasset. Recusantem parere principem, reum criminis pronunciavit, omnique dignitate multavit. Hanc sententiam multiplici notatam vitio, infirmam nulliusque roboris lata constitutione declaravit Clemens Papa V. in Clement.* Pastoralis.

6. Cum circumseptus in Etruria. *Lucensis codex optime emendat in* Nuceria *seu Luceria; utramque appellationem obtinet urbs unius diei itinere Neapoli distans, ubi se continebat Urbanus papa VI. dum Carolus Dirachiensis crucesignatorum copias in Ludovicum Andegavensem regni aemulum duceret. Ibi vero indigna tulit pontifex a Margarita Caroli uxore; qua prohibente, ne vel ipsa vitae necessaria Pontifici dabantur. Hinc factum, ut exacerbatus Urbanus demortui anno illo 1384 Caroli filio Ladislao paternae successionis haereditatem, regni scilicet Siciliae possessionem negarit. Vide Niem. lib. 1. cap. 36., &c.*

7. In Atrebatensi conventu. *Celebris toto orbe est conventus Atrebatensis, in quo pax inter Carolum VII. Galliarum regem & Philippum Burgundiae ducem conciliata. Annus ejus conventus 1435. definitur. Eo vero concurrisse ex tota Europa principes & principum legatos constat. Nihil tamen praeter pacem illam est actum.*

8. He-

8. Helena ſtabularia. *Lucenſis codex legit*. Ex Helena & ſtabulario; *ſed legendum* Helena Stabularia *conſtat, quia ſic habet S. Ambroſius in Orat. de obitu Theodoſii. Ex illegitimo conjugio Helenae cum Conſtantio Chloro natum Conſtantinum ferunt quidam, ex quo vitium natalium ſuorum exprobrat illi Julianus Apoſtata. Calumniam tamen hanc redarguit teſtimonium veteris Oratoris in Panegyri Conſtantino Magno dicta; laudat enim patris ejus continentiam, cujus exempla filium ſequutum affirmat.*

9. Eurardi potius. *Lucenſis optime emendat* Gualdi potitus; *nam reipſa oppidum Gualdi obtinuiſſe Picininum retenta ab adverſariis arce ex commentariis Gobelini diſcimus lib.* 11. *pag.* 36. *edit. Francofurt. Eſt autem Gualdus oppidum eccleſiaſticae ditionis in Marchia Anconitana.*

10. Diffidentibus inter ſe Conſtantinopolitanis imperatoribus, vocati in auxilium Turci, &c. *id quidem ante annos plures acciderat, nam anno* 1341. *Andronico Imperatore demortuo Joannes ſucceſſor aemulum habuit Cantacuzenum ſocerum ſuum. Nata hinc inteſtina bella, quibus ſuſtinendis Turcae ab alterutro vocati ſunt. Hac occaſione Amurates ditionem ſuam prorogavit in Thracia, Callipoli aliiſque non paucis locis ſubactis Phranza lib.* 1. *pag.* 15.

ORA-

ORATIO IV.

In discessu vel in fine Dietae Mantuanae.

Ex M. S. Cod. Ambrosianae Bibliot. Mediolan. misit Cl. Saxius. & vulgata est a me primum in to. IV. Supplem. Concil.

Septimo jam exacto mense, Venerabiles in Christo Fratres ac Filii Dilectissimi, & octavo currente, finis adest Mantuani Conventus, quem non dissolvimus, sed nobiscum quocumque duxerimus Curiam nostram, transferendum duximus, & auctoritate Apostolica transferimus. Sed quoniam Salvatore propitio finis bonus concessus est earum rerum, quae hic tractandae fuerunt, gratias reddere Divinae pietati convenit, & cum Propheta dicere: *Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, & omnes viae ejus judicia*. Sed ait fortasse quispiam: Quid hic boni factum est? Quid sperare Christiani? quid timere Turchi debent? Aut quae hic conclusa sunt, propter quae gratias Deo reddamus alacres? Non latet vos, viri fratres, fuisse complures, qui audita convocatione hujus Concilii, & intellecta profectione nostra ex urbe, consilium nostrum vel temerarium, vel nimis audax judicarent tanquam Reges armare in Turcos, & omnem Graeciam atque Asiam ex manibus hostium vendicare cogitaverimus. Nunc quoque non desunt malevoli & iniqui homines, qui nihil hic actum esse laudabile dicunt, & omnia depravant, contemnunt, irrident; adversus quos recte inquit sapiens: *Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium*. Nos sane cum animadverteremus, perdita Graecia, Christianam plebem dietim acrius urgeri a Turchis, sacra nostra foedari, & Sanctum Evangelium conculcari; non Mahumethem barba prehensum trahere; non Turcos aut Arabes in vincula rapere, non Hierusalem aut Constantinopolim recuperare;

Non ea vis animo, nec tanta superbia nostro.

sed

ſed conſervare quod reliquum eſt Chriſtiani nominis cogitavimus; neque hoc nobis perſuaſimus ſtatim fieri poſſe, ſed conſilium ejus rei cum Principibus Chriſtianis capiendum eſſe putavimus.

Non altus ille ſpiritus Eugenii datus eſt nobis a Domino, neque ſublimis concella Nicolai mens. Neque vaſtus Caliſti permiſſus animus. *Frigidus haeret nobis circum praecordia ſanguis*. Illi per ſe ſe Turchis indixere bellum, copias armavere, Claſſes inſtruxere. Nos tantam belli molem per ſe ſolam ſuſtinere poſſe Romanam Eccleſiam nequaquam arbitrati ſumus. Sed Conventu Chriſtianorum indicto, res communes communi conſilio gerendas cenſuimus, memores ejus ſententiae: Quoniam cogitationes conſiliis roborantur, & gubernaculis tractanda ſunt bella. Reprehenduntur haec in nobis; & timor, audacia; conſilium, temeritas appellatur. Garruli verò, quorum non parva copia eſt: nos Urbem fruſtra reliquiſſe dicunt, & fruſtra huc profectos. Fruſtra hic dies plurimos conſumpſiſſe, quoniam nihil actum ſit, de quo bene ſperare fideles populi queant. Stulta calumnia, injuſta reprehenſio. Arguimur quia futurum neſcimus, quod magna caligine Deus occulit. A Domino diriguntur greſſus viri: Quis autem hominum poteſt intelligere viam ſuam? Quamvis coelum ſurſum, & terra deorſum, & cor Regum inſcrutabile; noſtrum tamen fuit de Principibus Chriſtianis bene ac magnifice ſperare, & hunc Conventum magnos effectus pariturum credere. Verum ſicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri: multae cogitationes hominum; voluntas autem Domini permanet. Exiſtimavimus Chriſtianos Reges multa facturos. Deus autem qui ſolus bonus eſt, & ſolus ſapiens, ſoluſque novit quid nobis expediat; hoc tamen fieri voluit, quod factum eſt; ad cujus conſilium nulla poteſt curioſitas hominum pervenire. Fatemur, non ſunt facta omnia, quae putavimus; ſed neque omnia praetermiſſa; neque maxima, neque minima ſunt, quae Chriſtiani Principes promiſere; & longe plus factum eſt, quam multi judicarint.

Alius haec magnificis ampliaret verbis; noſtrum eſt ſo-

solam & nudam veritatem ostendere, & dicere cum Propheta: *Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera, & omnes viae ejus judicia*. Quae opera dicit fortasse aliquis? Opera certe, quae in hoc Conventu operatus est Dominus, cujus voluntate factum est, ut omnes, qui convenerunt, uno animo & uno ore bellum Turchis indicendum suaserint: Ad quod nutriendum quae subsidia promissa sint, & quae sperentur, quam brevissimè referendum est. In qua re non servabimus dignitatum ordinem, sed ut quisque memoriae se obtulerit, ita & recensebitur. Nobilissima Provinciarum Italia Clericorum decimas, Judaeorum vigesimas, Laicorum trigesimas pollicita est.

Audistis Oratores Inclyti Joannis Aragoniae Regis, qui propter Trinacriam atque Sardiniam Italis annumeratus est, quam multa pro tuenda Fide promiserint. Audistis & Oratores Ferdinandi Siciliae Regis, qui, quamvis domestico implicitus bello est, Christianae tamen Religioni sua praesidia non denegat. Franciscum Sfortiam Mediolanensium Principem ipsi praesentem vidistis; verba ejus memoriae tenetis, quae Christianum animum, & Religiosam mentem ostendêre. Quam liberalis, & magnifica fuerit Borsii Mutinae Ducis oblatio non ignoratis; ad trecenta usque millia auri nummum legati ejus obligare Dominum potuere. Ludovicus Marchio Mantuanus, insignis & modestissimus Princeps, plus cupit Ecclesiae subvenire, quam possit. Florentini, potens & praedives populus, per Legatos suos sese obligarunt. Idem fecerunt Senenses & Lucani, non contemnendae Civitates. Marchionem Montis ferrati, antiquae nobilitatis Principem, progenitorum suorum vestigia secuturum Frater Guilemus obtulit. Si vera loquuti sunt Genuenses, ex illa quoque nobili ac potenti Civitate non parva expectanda sunt auxilia. Ludovici Sabaudiae Ducis, qui non parvum in Italia Dominium possidet, nondum responsum habemus; confidimus tamen, filium, quem Cipris Regem dedit, non derelinquet: de maxima & potentissima Venetorum Republica nihil dicimus; ipsum tamen silentium non nihil spei praestare potest. Est praeterea in Italia

lia Romana Ecclesia, Urbs Roma, caput Orbis: opulenta Bononia; nobilis Perusia; vetus Ancona & omnis ager Picenus, omnis Umbria; omne Patrimonium Beati Petri, cujus nos parentes sumus, nec minora praestabimus quam literae nostrae promittunt, quae mox legentur. Sunt & Fratres nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales; sunt Officiales & Ministri Curiae; omnes suis opibus bellum juvabunt; Sic Mater Italia sese exhibet; Sic Dei perfecta sunt opera.

Sed neque armipotens Germania, neque gloriosissimus Imperator Fridericus, neque nobilissimi Austriae, Bavariae, Saxoniae, caeterique Duces, Marchiones, Comites, populique potentes nationis ejusce ociosi esse volunt. Duo & quadraginta pugnatorum milia in hostes educere promiserunt; magnam militum & praevalidam manum quae fugere nesciant. Audistis Albertum Marchionem quem coram cernitis; non hic gregarius miles aut infimus Princeps, sed Dux peritissimus est, qui plures ex hoste victorias tulit, quam alius nostri temporis legerit; multum est quod ipse promittit; in cujus persona instar est non parvi exercitus.

Transeamus in Galliam, Philippus Burgundiae Dux, & nobilitate & potentatu admodum excellens, cujus dominia per Germaniam ac Galliam latissime patent, sex milia bellatorum pollicitus est. Credimus generosum animum Principis, ut captivitatem Patris magnifice ulciscatur, etiam majora facturum, (1)

Hungari, quorum res agitur, duodecim milia equitum peditumque non parvum numerum sese armaturos affirmant; & nos si facultas aderit, quam speramus, parem equitum alam adhibebimus. Hic est exercitus, qui promittitur: septuaginta milium bellatorum & ultra; quem qui non sufficere arbitratur, is neque rei bellicae peritiam habet, neque spem in Domino. Romani, qui orbem armis subegerunt, quatuor legiones cum auxiliis ad omnem vim belli sustinendam idoneas putaverunt, nec plures in auxiliis milites, quam in legionibus esse sinebant. Fatemur non satis fuisse hic exercitus Xersi, neque Dario, neque Tamerlanio, quem patrum nostrorum me-

moria denescentena milia hominum in armis habuisse proditum est; sed Alexandro magno, sed Hannibali Poeno, sed Scipioni Africano, sed Cn. Pompejo, sed Julio Caesari minores, quam hae copiae satis, superque satis fuissent; qui parva saepe manu innumerabiles hostium turmas delevere. Considerandum & est illud quod ad Gedeonem in Libris Judicum dixisse Dominum legimus: *Multus*, inquit, *tecum est populus, neque tradetur Madian in manus ejus, ne glorietur contra me Israël & dicat: meis viribus liberatus sum*. Tribuendus est Domino suus honor, & aliquid sibi servandum est. Nam turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit justus & exaltabitur; speremus in Domino, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros: qui timet hominem, citò corruet; qui sperat in Domino sublevabitur: quamvis & humana ratione sperare nobis victoriam licet, cum terra marique magnis viribus aggressuri hostem simus. Curavimus enim & validam classem armari, sicut postea suo tempore cognoscetis; neque Christiani milites effoeminati instar Turchorum sunt. Virilis exercitus noster, ille muliebris erit; neque multitudo timenda hostium est. Nam & Christianorum (ut diximus) ingentes erunt turmae. Quibus & Cruce signatorum accedent cunei, quorum virtus tertio abhinc anno probata, magnam & praeclaram victoriam peperit. Haec sunt auxilia, quae Dominus parare voluit, cujus perfecta sunt opera, & cui tam facile est cum paucis quam cum multis vincere. Numeravimus ea quae tamquam certa promissa sunt auxilia; nunc sperata referamus.

Quis Carolum Franciae Regem tum religiosissimum, tum potentissimum & nobilissimum Orthodoxae Fidei defuturum putet? Cujus majores iccirco Christianissimi dicti sunt, quia legem Christi adversus Barbaros magnifice defenderunt; Oratores ejus, viri praestantes, optimam spem nobis fecerunt, Regem hunc digna suo genere praestaturum auxilia.

Nec Hispania, terra nobilis & praepotens, Christianae necessitati defutura est. Henrici Castellae Regis maximi & clarissimi, quamvis Granatensi bello detinetur, pecu-

pecuniaria tamen subventio non denegabitur. Joannes Aragonensis, qui pluribus Regnis praeest, & in Italia & in Hispania late imperat, magno animo Fidem non solum ut Italus, sicut praedictum est, sed etiam sicut Hispanus se statuturum asserit. Alfonsus Portugaliae Rex & ipse magnanimus, quamquam Ceptensem Mauritanumque hostem premit, voti tamen memor, adversus Turcos aliquid molietur. Henricus Angliae Rex haud contemnendam legationem missurus erat; impedivit civile bellum, (2) quo composito, non est credibile pium Principem Christianam Religionem deserturum. Nec Scotorum Rex Jacobus, & si extra Orbem positus esse videtur, auxilia sua Catholicae negabit Ecclesiae. Neque Casimirus Poloniae Rex, Lituaniaeque Magnus Dux inultam esse animam patietur Uladislai fratris, quem Turchi crudeliter obtruncarunt. Nec Georgius, qui Regno Bohemiae praesidet, fortes suorum turmas Religioni negaturus est; cujus non minor est animus, quam potentia. Christiernus quoque Daccorum, Svetiorumque Rex, Gotthicae gentis Rector, nequaquam ultimus esse volet eorum Regum, qui fidei curam gerunt.

Verum haec sperata sunt auxilia, illa quae supra diximus magna ex parte promissa & affirmata, propter quae libet iterum atque iterum cum Propheta dicere: *Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, & omnes viae ejus judicia*. Sed quaeritis fortasse, Fratres, quo pacto fiet hic exercitus, cum novae inter Germanos exortae lites ferantur, & Caesar de Regno contendat Hungariae (3). Respondemus, quamvis investigabiles viae Domini, & judicia ejus abyssus multa; qui tamen ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Nos Legatum in Germaniam mittemus Venerabilem Fratrem nostrum Bessarionem Cardinalem Nicaenum, Virum doctum, & rerum experientia praeditum, qui vel pacem componat, vel inducias belli statuat: qualis exitus rerum erit, nescimus; expectatio justorum laetitia; spes autem impiorum peribit: si bona erunt opera nostra, si Deo fideliter serviemus, nihil proficiet inimicus in nobis. & filius iniquitatis non apponet nocere nobis. Quod timet impius

L 2 ve-

veniet super eum; desiderium suum justis dabitur. Sufficit nobis praestare quae possumus, reliqua Deo dimittenda sunt; cujus omnes viae salus ac salvatio. Ipse noster protector, si merebimur, & propugnato erit; ipse hactenus ita res in hoc conventu direxit, ut agendae sint ei ingentes gratiae, qui misericordibus & pientibus oculis nos respicere dignatus est. De reliquo supplicandum est, ut vias suas erga nos in judicio per misericordiam dirigat; quare hortamur ut omnes nobiscum divinam pietatem implorantes, versiculis quos pronunciabimus in modum qui subscriptus est, devote respondeatis.

Tu nos Domine Jesu Christe filii Dei vivi
Ex omnibus gentibus Regnum elegisti,
Et Christiano insignitos nomine,
Cohaeredes tuos assumere dignatus es:
Sed indigni tam excellenti gratia peccavimus cum patribus nostris,
Injustè egimus, iniquitatem fecimus;
Dereliquimus te Deum factorem nostrum;
Et recessimus a te salutari nostro.
Exacerbavimus eloquia tua;
Profanavimus justitias tuas;
Et in judiciis tuis non ambulavimus:
Visitasti propterea in virga iniquitates nostras,
Et in verberibus peccata nostra.
Exaltasti dexteram deprimentium nos;
Et laetificasti omnes inimicos nostros:
Tradidisti fratres nostros in manibus gentium;
Et dominati sunt eorum qui oderunt eos.
Foris vastamur gladio,
Et intus pavore consumimur.
Facti sumus opprobrium vicinis nostris,
Et subsannatio & illusio iis qui sunt in circuitu nostro.
Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.
Cito anticipent nos mesericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis.
Ne respicias peccata nostra.

Respi-

Respice fidem Ecclesiae tuae.
Nitet adhuc sponsa tua.
Sine ruga, & sine macula est amica tua, & candida est columba tua.
Non omnes simul a te recessimus,
Neque omnes fornicati sumus,
Supersunt adhuc supra septem milia virorum,
Qui non curvaverunt genua sua ante Baal.
Inspice Sacerdotum abdita;
Rimare Virginum cellas, & Monachorum intuere penetralia.
Non desunt animae rectae & simplices,
Quae tibi fideliter serviunt, & pro nobis veniam petunt.
Audi supplicum preces,
Et confitentium parce peccatis, & quas fundimus lacrymas ne despicias.
Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est;
Introeat in conspectu tuo.
Et gemitus compeditorum
Sonet in auribus tuis.
Nos quamvis peccatores;
Christiani tamen sumus & nominis tui cultores.
Averte a nobis indignationem tuam,
Et procul sit a nobis furor tuus.
Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt,
Et in Regna, quae nomen tuum non invocaverunt.
Ecce inimici tui sonuerunt,
Et qui oderunt te, extulerunt caput.
Superbiunt Constantinopolitana victoria hostes tui;
Et manus nostrae, inquiunt, non Dominus fecit haec omnia..
Quousque patieris haec, Domine;
Cur taces? cur obdormis?
An non tibi potestas est?
Et virtus, qua coerceas inimicos?
Et quis similis tibi in fortibus Domine?
Magnificus in sanctitate, terribilis & laudabilis & faciens mirabilia.

Adju-

Adjuva nos, Deus, salutaris noster;
Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.
Propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum,
Ne forte dicant in gentibus: ubi est Chistianorum Deus?
Ostendisti hactenus, quia misereri velles populi tui,
Fidelium mentes ut exercitum contra Turcos mitterent inspirando.
Perfice quod restat, da perficere quae promissa sunt,
Et adversus inimicos tuae Sanctissimae Crucis praebe victoriam.
Memento, Domine, in beneplacito populi tui;
Et visita nos in salutari tuo.
Salvos fac nos, Domine, Deus noster,
Ut liberati de tribulatione confiteamur nomini sancto tuo.
Gloriemur, Domine, in laude tua,
Laeta & alacri voce dicentes:
Date magnificentiam Domino Deo nostro,
Dei perfecta sunt opera, & omnes viae ejus judicia.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

OMnipotens, sempiterne Deus, qui pretiosissimo Sanguine dilectissimi Filii tui humanum genus redimere, & jacentem in tenebris Mundum ad Evangelii lucem erigere dignatus es: praesta quaesumus, ut adversus impias Turcorum gentes ejusdem Evangelii contemptores, cunctasque Barbaras nationes vivificae Crucis inimicas: fideles Christianorum Principes ac populi per hoc persecutionis tempus, ita potenter arma corripiant, ut quicumque pro tui nominis gloria militaverint, virtutis tuae brachio sublevati, ad Ecclesiam tuam victricia signa feliciter reportent: Per eundem D. N. Amen.

NO-

NOTAE

In Orationem in fine conventus Mantuani.

1. UT captivitatem Patris magnifice ulciscatur. *Adjutus a Gallis Sigismundus Caroli IV. filius & Austriae dux, valido exercitu apparato praelium cum Turcis conseruit, pugnatumque est utrinque strenue Ad Nicopolim anno* 1396. *Res infeliciter cessit Christianis, quorum caesi plures, nec rari etiam e summis viris in potestatem hostium venere; inter quos Joannes Burgundiae dux eundem fortunae casum tulit, nec nisi ingenti soluta pecunia redditus est libertati. Ex hoc parente natus Philippus, quem hic Pius celebrat. Vide Commentar. Gobelin. lib.* 2.
2. Impedivit civile bellum. *Henrico VI. Angliae regi turbulentum imperium reddebant tumultus a Duce Eboracensi Richardo regi necessitudine conjuncto excitati. Civile hinc bellum natum, quod Henricum regem diu afflixit, nec res intra molestias constitit; nam & solio absistere aliquandiu coactus fuit, & nonnisi aegre pristinam dignitatem recepit & retinuit. Vide Gobelin. lib.* 3.
3. Cum novae inter Germanos exortae lites fuerint, & Caesar de regno contendat Hungariae. *Tumultuabatur eo tempore in Austria, nam Viennensis urbs aliquandiu exclusit Imperatorem, ingredi portas ejus tentantem, ut seditionem a quodam Joanne Holzor excitatam sopiret. Admissus deinde; sed non composita discordia. Optimates Caesari parebant; plebs cum baronibus Austriae rebelles sectabantur; hi vero Albertum Austriae ducem, qui eo statim accurrit, praeferebant. Cum tractationes omnes pacis in cassum recidissent, ventum ad arma est: victi Caesariani; Sigismundus exclusus: gubernatio Austriae per annos octo Alberto permissa est. Vide Gobelin. Com. lib.* 10. *Regnum Hunga-*

gariae quod attinet, defuncto Ladislao, cum nullus regni successor superesset, electus est ab Hungaris Matthias Hunniadis filius. Ex ea electione natae cum Friderico contentiones; nam & Fridericus, defuncti Ladislai patruelis, jus sibi in eo regno asserebat; frustra tamen adnisus est; nam post bella & caedes, regnum tandem aemulo coactus permisit.

ORA-

ORATIO V.

Ad Cardinales, de noviter promotis Cardinalibus.

QUamvis non dubitamus, Venerabiles (a) Fratres ac dilecti filii, notissimas vobis esse personas eorum, quos feria quarta proxime decursa in S. R. E. cardinales assumpsimus; pro veteri tamen consuetudine de meritis ipsorum pauca dicemus. Quinque viri sunt quos & nos & sacrum collegium fratrum nostrorum ad cardinalatus honorem hoc tempore duximus assumendos.

1 Cod. Lucensi. Edidit Raynald. ad A. 1459. 28. Variantes hic dantur

(a) Editi addunt *in Christo.*

1460.

Primus est Angelius Areatinus episcopus, vero Angelus & vita & morum honestate conspicuus. Huic fuit frater Dominicus tituli S. Crucis in Hierusalem quondam magni nominis cardinalis. Non minor hic germano est; multa ejus extant quae *cum laude* (b) possumus commemorare. Vita omnis sua mundissima; praefuit ecclesiae sibi commissae non sine magna subditorum utilitate; praedicavit evangelium multis annis plebi suae, correxit mores, reformavit quaecumque invenit male disposita. In legationibus, quae sedes sibi apostolica mandavit, diligentissimus & fidelissimus extitit; & nunc Bononiae cum maxima civium gratia legationis munus exercet. Secundus est Berardus episcopus Spoletanus apud Narniam non ignobili loco natus, qui cum per scholas Italiae cathedras magna cum auditorum dilectione atque utilitate rexisset, tandemque Romanam curiam accepisset, ab Nicolao praedecessore nostro, qui ejus doctrinae culmen admirabatur in palatium receptus referendariatus officium accepit, in quo ita se gessit, ut omnia sibi crederet. Nam verbum ejus, verbum veritatis fuit, nec ad promotionem ejus aliud obsistit quam invidia paucorum. In nostra vero familia receptus ob famae singularis odo-

(b) *Deest.*

rem & noſtram gratiam & aulicorum omnium benevolentiam meruit; primuſque ſemper apud nos habitus eſt, cum & prudentiam ejus & doctrinam & admiraremur & diligeremus. Tertius eſt Nicolaus electus Theanenſis utroque jure conſultus, qui ſub Eugenio Pontifice Viterbium & provinciam patrimonii pro *gubernatore* aliquandiu ſumma cum laude adminiſtravit. Fuit hic cùm ageremus in cardinalatu curiae noſtrae magiſter, domumque noſtram & provide & pacifice rexit. In apoſtolatu vero noſtro theſauriatus exercuit officium, quod fidem & dexteritatem ingenii maximam requirit; neque audivimus aliquando alium fuiſſe theſaurarium, qui ejus vel bonitatem, vel circumſpectionem ſuperaverit. Miſimus eum ad reges & principes; nihil ei commiſimus, quod non prudenter abſolverit. Quartus eſt Alexander ordinis Auguſtinenſium magiſter generalis, ſummus theologicae ſapientiae doctor atque interpres, qui annos duos & XL. in religione verſatus, eximius cultor & paupertatis & humilitatis extitit. Huic patria eſt Saxumferratum; parentes ejus quinquennem aut paulo majorem (*c*) dicaverunt, cum in fontem cadens mortuo ſimilis extraheretur. Locus in quo primo receptus *eſt B. Mariae ſacer habetur* (*d*). In die B. Mariae profeſſionem emiſit, & revolutis annis eadem feſtivitate & miſſam primam celebravit, & magiſterium theologiae adeptus eſt, & in civitate B. Mariae ad cardinalatum per nos aſſumptus eſt; vir omni ex parte perfectus, vocatus a Deo tanquam Aaron; neſcius, nihil petens & dignitates prorſus effugiens receptus eſt in conſilium noſtrum. Traxit nos odor boni nominis & *vitae exemplaris veriſſima fama*. Nam etſi animus ejus honorem quamvis horreret; virtutes tamen ejus petebant ne inhonoratus relinqueretur. Poſtremus eſt Franciſcus adminiſtrator eccleſiae Senenſis, noſter ſecundum carnem nepos, pontificii juris interpres, de quo non eſt cur verba faciamus, tum quia ſuſpecta eſſet commendatio noſtra, tum quia non modo noſtro, ſed cardinalium judicio dignus hoc munere putatus eſt. Rogati ab eis promotionem ejus fecimus; ipſi an bene conſuluerint videbunt. Hic in Diaconum, caeteri in presby-

gubernatione.

(*c*) Ad. Deo.

(*d*) Deeſt.

Ed. *& vita exemplariſſima.*

presbyteros cardinales vocati sunt. Spes nobis est utilem hanc promotionem futuram. Nam, excepto nepote nostro, reliqui omnes matura aetate sunt. Nemo infra quadragesimum annum agit. Doctrina singulari excellunt; prudentia & rerum experientia *ingens* in omnibus; nullae in his sordes, nulla ambitio, non arrogantia, non avaritia, quae hominem excaecat & idololatram facit; non libido, quae hominum vires effoeminat; non crapula, non ebrietas dominatur. *Vixerunt* hi viri *quamvis vitia* & mundae omnibus manus, sincerae mentes, videntes & solertes animi: aptissimi profecto qui vicario Jesu Christi & assistant & consulant. Audivistis qui sunt quos promovimus, nunc ut eorum tres qui adsunt videatis oportet. Ite vos Diaconi cardinales, atque eos adducite, ut in collegio vestro considеant.

Ed. *Ingenii*

Ed. *Vicerunt* hi viri *quaevis vitia*.

IN RESPONSIONEM

Datam Bohemis pro compactatis.

Argumentum.

AD Calixtum III. pontificem summum Pius, tunc AEneas Sylvius, Caesaris legatus veniens hanc eandem pro indulto compactatorum Bohemis largiendo petitionem exposuerat. Quamvis vero tunc ita rem tractavit, ac si non suadere quidem pontificem, sed in utramque partem causam exponere se videri vellet; ita tamen orationem suam inclinavit, ut pontificem ipsum ad relaxandum disciplinae rigorem in gratiam Bohemorum deflecteret. Hac igitur in rem suam AEneae propensione animati Bohemi ad primum ejus assumptionis nuncium legationem ad eam splendidam decreverunt, compactata postulaturi. Qui eam gererent delecti a rege Georgio (exteriori habitu catholico, intus in corde Hussita) sunt Procopius, & Fridericus Cosca, viri ambo inter regni primates conspicui; quorum prior catholicorum dogmatum tenacissimus; alii vero regiae perfidiae socii habebantur: adjecti illis sacerdotes ex Hussitarum secta gemini. Verum alia erat pontifici mens quam privato fuerat; ideoque postulantibus Bohemis compactata in Basileensi concilio constituta firmari, exprobravit pontifex perfidiam, quod ea, quae concilio polliciti fuerant, minime servassent; tum oratione promota nihil adstrui illis juris ex compactatis demonstravit; tandem nec debere se, nec posse citra religionis discrimen postulatis eorum acquiescere argumentis evincit. Orationis hujus epitomen exhibet Cardinalis Papiensis in commentariis lib. VI. pag. 433.

RE-

RESPONSIO

Data oratoribus regis Bohemiae de compactatis et illorum haeresi.

SUperioribus diebus cum audivissemus vos, oratores charissimi filii nostri regis Bohemiae illustris, quamvis aliqua *ex tempore* (*a*) diximus; responsionem tamen solidam & efficacem cum fratrum *nostrorum* (*b*) consilio in aliud tempus *servavimus* (*c*) quam in praesentiarum a nobis *intelligetis* (*d*). Hortamur ut omnia cum charitate accipiatis, *quia* tanquam pater in charitate non ficta *loquimur* (*e*). Duo exposuistis in hoc ipso auditorio. Nam & obedientiam nomine regio praestitistis nobis, & apostolicae sedi, & usum communionis Eucharistiae sub utraque specie regno Bohemiae & marchionatui Moraviae concedi petivistis. Circa primum, dicimus (*f*) multa nobis exposita esse in laudem regis, & per imperatoris oratorem, & per dilectum filium *Procopium equitem* (*g*), qui unus est ex vobis. Nam is multis verbis seorsum nobis sincerum regis animum & optimum ejus propositum ad benemerendum de sancta sede apostolica commendavit. Laudamus regem, *qui portam Domini videtur inquirere*, (1) per quam justi intrant, & sine qua non patet iter in coelum. *Qui non intrat per ostium, fur est & latro*. Ostium autem in ovile Domini est ipsa sedes apostolica, cui sunt traditae claves regni coelorum. Sapit igitur regia sublimitas, quae verum ostium quaerit & vera pascua, & verum pastorem; & nos, licet immeritos, tanquam Jesu Christi vicarium sua honorat obedientia, & primae sedi caput submittit. Verum quia regnum Bohemiae olim sub Romanae ecclesiae & antecessorum nostrorum obedientia *integra* (*h*) fuit, & ritum eumdem tenuit circa divina sacramenta; & postea pars magna regni & mar-

chio-

Anno 1461. Ex Lucensi Codice. Affert & Leibnitius in Append. ad Cod. Jur. Gent. pag. 159. edit. Guelferbyti 1747. ex quo hic dantur variantes.

(*a*) ex parte

(*b*) *Deest.*

(*c*) faciendam reservavimus.

(*d*) accipietis.

(*e*) cum ... loquamur.

(*f*) didicimus.

[g] Procopium de Rabstein.

(*h*) fuit integ.

chionatus ab obedientia receſſit, & ritum novum invenit, quem ignoraverunt patres eorum, & multi exceſſus *interceſſerunt* (i), qui adhuc non parva in parte durant: non poteſt dici ſufficiens regis obedientia, niſi novitates tollantur, & omnia reducantur ad priſtinam vivendi normam. Quod ſi vult rex ſuae obedientiae, & ſuo debito ſatisfacere, omnia tollat (l) *de regno ſuo* neceſſe eſt; & ita *nos ſibi praecipimus* (m) in virtute obedientiae nobis praeſtitae. Quod ſi fecerit, dicemus regem ipſum veram & ſufficientem obedientiam praeſtitiſſe, eumque condignis honoribus & favoribus proſequemur. Alioquin cum regum proprium ſit eccleſiam tueri, & Romanis pontificibus reverenter aſſiſtere, & eorum parere mandatis; non ſatis eſſet verbo ac ſcriptis obedientiam praeſtitiſſe non ſequentibus operibus. Haec ad obedientiam regis.

(i) *Deeſt.*

(l) de regno ſuo quae ſunt innovata contra mandata noſtrorum praedeceſſorum, & contra ritum univerſalis eccleſiae neceſſe eſt.

(m) ſibi praecipite.

Ad petitionem vero communicationis utriuſque ſpeciei, ſive compactatorum conſideravimus verba proponentis, qui communionem ipſam etiam quoad laicos veritatem divinitus quodammodo revelatam viſus eſt appellare, approbando eam per praxim Eccleſiae primitivae, per auctoritatem Sacrae Scripturae, per teſtimonia Sanctorum Doctorum, & per conceſſionem, ſive compactata Concilii Baſilienſis. Circa hoc non eſt neceſſe multum immorari. Nam ſatis hic articulus in Baſilienſi Concilio diſcuſſus eſt, & tandem fuit diffinitum non eſſe communionem ſub utraque ſpecie quoad laicos & non conficientes de praecepto. *Denique* (n) magna Synodus Conſtantienſis prius diffinierat, quia non licet a conſuetudine Eccleſiae quae regitur a Spiritu Sancto recedere; & in illis Conciliis abunde conſiderata fuit praxis Eccleſiae primitivae, & ſacrarum auctoritas literarum, & quod Doctores, vel Sancti, vel Scholaſtici aſſererent opportune animadverſum. Nam omnes fere uno ore loquuntur quod *non eſt populus* (o) ſub utraque ſpecie communicandus; quamvis aliquando id factum fuerit. Nam poſtea utiliter, & ſalubriter ſublata eſt laicis communio calicis ob reverentiam Sacramenti, propter periculum effuſionis in multitudine communicantium,

(n) deinde

(o) non populus.

tium, & propter difficultatem conſervationis, ſi pro viatico infirmorum reſervaretur, nec non etiam effuſionis, ſi ut ſaepius oportet, *ad non parum* (*p*) etiam diſtantes deferretur. Tum vero ne rudis populus exiſtimaret Chriſti Corpus non integre recipi, niſi ſub utraque ſpecie. Quod vero de compactatis adducitur paulo poſt abſolvemus. Manifeſtum autem eſt, quia poſt generalem Eccleſiae conſuetudinem *ſubtrahentem* (*q*) laicis communionem calicis, nulli fas eſt populum ſub utraque ſpecie communicare, niſi vel generale Concilium, vel Romanus Pontifex indulſerit. Ac propterea nec veritas appellanda eſt talis conſuetudo, neque utilis neque ſalubris judicanda, quae abſque ſufficienti auctoritate introducta eſt.

(*p*) ad parum.

(*q*) ſubtrahendam.

Illud autem damnabile eſt & prorſus haereticum appellandum, ſi quis aſſerit talem communionem ad ſalutem eſſe neceſſariam, *ſicut Jacobellus* (*z*) putavit, & qui eum ſequuti ſunt. *Magna hominis illius praeſumptio, vel potius temeritas* [*r*] qui ſolis imbutus grammaticae diſciplinis, *quibus* (*s*) pueros inſtituebat, auſus eſt ſacros *& abſtruſos* (*t*) Evangelii ſenſus attingere, & ad ſuum ingenium arcana filii Dei verba interpretari. Non eſt grammaticorum, aut dialecticorum ſecreta divini codicis reſerare, Theologorum eſt, & ſacrae paginae profeſſorum iſta cognitio, & eorum quibus data eſt ſcientiae clavis, quae aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Eunuchus ille in Actibus Apoſtolorum, qui ex AEthyopia venerat in Hieruſalem, cum legeret Iſaiam, interrogatus ab Apoſtolo Philippo an intelligeret quae legeret: *& quomodo*, inquit, *poſſum intelligere niſi exponatur?* At Jacobellus abſque expoſitore, abſque doctore auſus eſt docere quae non didicit, & abſque calicis bibitione ſalvari neminem aſſeverare propter verba Salvatoris apud Joannem dicentis: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Verborum tantum & literarum adnotans ſonum, mentem praeteriens; *haud ignarus* (*u*) quod ſpiritus eſt qui vivificat; caro autem non prodeſt quidquam: neque advertens quod in eodem loco

(*r*) Deeſt.

(*s*) qui.

(*t*) Deeſt.

(*u*) neſciens.

co paulo post, cum scandalizati essent de tali sermone aliqui: *Verba mea*, inquit Dominus, *spiritus*, *& vita sunt*: propter quod manifeste declarat, quia de spirituali manducatione & bibitione loquutus fuerat, potiusquam de Sacramentali; cum & nondum esset institutum Eucharistiae Sacramentum; & ita B. Augustinus, & alii quamplures sancti Doctores ejus Evangelii lectionem exponunt, qui revelatis oculis mirabilia consideraverunt de lege Domini, & sua doctrina sanctam ecclesiam illuminarunt. Et licet Dominus in ultima coena sub specie panis & vini communicaverit quando id sacramentum instituit, & similiter apostolos in suam commemorationem facere jusserit: non tamen idcirco populis communio calicis mandata est. Apostolis tantum id dictum fuit, qui tum sacerdotes constituti fuerunt; & ad conficientes pertinet sub utraque specie Christum assumere, & ejus mortem repraesentare, non ad laicos; & haec veritas est jam in duobus conciliis generalibus declarata.

Restat nunc ut petitioni vestrae respondeamus de *communione* (x) quam cupitis. Nos sane regem vestrum, barones vestros, & populares omnes regni Bohemiae in Domino diligimus, & pro filiis habemus, dum Romanam ecclesiam loco matris habuerint, & ei tanquam *magistrae* (y) obtemperaverint. Magnus & misericors Deus, cujus vices indigni gerimus in terra, homines pro liberis habet, eisque non omnia quae petunt, sed utilia pro jucundis concedit. Ita & nos facere oportet erga vos Bohemos, qui pro laicis communionem *calicis* (z) desideratis, & compactata concilii Basiliensis adducitis, quibus id vobis concessum existimatis. Satisfaciendum est huic parti ne decipiamini, & falsa pro veris capiatis. Vidimus transumpta compactatorum quae nobis obtulistis; quibus diligenter inspectis, non invenimus quod illorum vigore communicare *possitis laicos* (aa) sub utraque specie. Compactatorum enim bipartita ratio est. Altera permittit & indulget, ut qui unionem recipiunt ecclesiasticam & pacem realiter & cum effectu, ut in omnibus aliis quam in usu communionis utriusque speciei fidei & ritui universalis ecclesiae conformes essent, & usum

(x) communicatione.

(y) integre.

(z) *Deest*.

(aa) possit laicus.

usum talis haberent: possint communicare sub utraque specie in regno Bohemiae & marchionatu Moraviae. Altera promissionis est, dicens quod facta in concilio discussione super articulo communionis, nihilominus si perseveraverint in desiderio habendi talem communionem, & id per legatos indicaverint; concilium facultatem largietur sacerdotibus communicandi eas personas, quae in annis discretionis constitutae reverenter, & devote postulaverint, cum adjectione quod sacerdotes sic communicantes semper dicerent, quod ipsi debent firmiter credere, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer totus Christus. Neque tamen reperitur quod concilium postea hujusmodi facultatem dederit. Sive igitur primam compactatorum partem, sive secundam adducitis, nihil habetis. Nam secunda pollicitationis est nunquam impleta, sive quia non petivistis, sive quia concilium ex rationabili causa recusavit concedere, quod noxium videbat futurum, cum vestri sacerdotes non servarent conventa. Nec prima pars vobis subvenit, quia concessa est communio *sanguinis* [*bb*] usum habentibus, (*bb*) calicis; & unionem recipientibus ecclesiasticam, & in omnibus aliis praeterquam in articulo communionis; sed unionem ecclesiasticam & conformitatem nunquam recepistis. Non igitur indulti fuistis capaces. Quod autem unionem & conformitatem non fueritis *amplexi* (*cc*) liquet ex moribus vestris. Nam sacerdotes vestri non instituuntur ad titulum beneficii, ut moris est in aliis regnis *per episcopos* (*dd*) & habentes potestatem, nec servaverunt unquam mandata concilii, quibus *praeceptum* (*ee*) erat, ut tantum habentes *usum* (*ff*) communicarent; sed pueros & dementes communicaverunt, & nolentes communicare sub utraque specie, noluerunt sepelire, & aliis modis coëgerunt, & multis in rebus ritum universalis ecclesiae abjecerunt, & *major pars, vestrum usum communionis* (*gg*) calicis accepit per compactata, quod minime licuit. Non est igitur quod de compactatis gloriemini. Nec illud vos juvat, quod oratores concilii mandaverunt archiepiscopo Pragensi, Olumicensi, & *Latolimis*-

(*cc*) complexi sive complexati.

(*dd*) & episcopatibus,

(*ee*) praeceptum.

(*ff*) rationis usum.

(*gg*) majorem usum vestra communio calicis.

(bb) Litormericensi episcopis.

misbensi (bb) pro tempore existentibus, ac presbyteris ad quos pertineret, ut populum sub utraque specie requisiti communicarent juxta conventa. Nam id factum est vigore concessionis, cujus fecistis vos indignos, ut ante diximus. Inspectis igitur compactatis omnibus, & bullis concessis, judicamus de consilio fratrum nostrorum cardinalium sacerdotes vestros absque ulla potestate laicalem populum ad communionem calicis admittere, decipere plebes, & graviter peccare, dignosque gravi animadversione, & nisi resipuerint, se ac populum sibi *credentem* (ii) perditum ire; quos admonemus ut se corrigant, & nostra potius clementia quam ultione uti velint. Haec ad compactata, quae calicis communionem minime vobis permittunt.

(ii) concreditum.

Sed cupitis, ut apostolica sedes eam vobis indulgeat. Faceremus id libenti animo, si & vobis utile, & nobis decorum esset; at neutrum hic est. Nam quomodo id nos concedamus, quod (3) *nostri praedecessores semper concedendum esse negaverunt*? Indigne id ferrent aliae nationes, & adversus nos murmurarent, quas non expedit scandalizare. Vobis autem concessio ipsa, & regno vestro multis de causis *damnosa* (ll) esset, sicut noxius est ipse usus quem servatis. Nam cum fuerit olim communis opinio vestra quod assumptio calicis esset de necessitate salutis, facile in eundem errorem populus prolaberetur, si ei permitteretur ex apostolico indulto; & maxime cum vestri sacerdotes noluerint ea in communicando facere, quae jussi fuerunt; & vos etiam nunc dicitis communionem sub utraque specie populo utilem & salubrem esse, & divinitus revelatam. Cui assertioni facilè accederet credulitas necessitatis. Ad quem vitandum errorem necesse est a bibitione *calicis* (mm) arcere populum. Ad id urget debita sacramento reverentia, ne in populi frequentia calix *Domini* (nn) male tractetur, & pretiosissimus Christi sanguis (quod saepe factum est) effundatur in terram. Huc accedit quod maxima pars Bohemorum & Moravorum ritum vestrum abhorret, & nunquam ad illum posset inclinari. Quod si vobis indulgeretur quod petitis, nunquam inter vos esset unio;

(ll) damnosum.

(mm) Deest.

(nn) Deest.

sem-

semper durarent inter vos schismata, essetque vobis omni tempore timendum Domini verbum: *Quia omne regnum in se divisum desolabitur*. AEquius igitur est & facilius ut vos novum ritum & minime approbatum relinquatis, & illis conformemini, *quam illi vobis cedentes* (oo) antiquum & laudabilem usum *reiiciant* (pp), ut sit pax inter vos, & ipsum sapiatis omnes, & vivatis tanquam fratres.

(oo) qui vobis accedentes.
(pp) recidant

Postremo, si hoc indulgeremus quod quaeritis, offenderemus omnes vicinos nostros, Teutones, Hungaros, Polonos, eosque perpetuo *vobis* (qq) infensos redderemus. Nam videntes vos alium ritum habere, sicut hodie *faciunt* (rr), semper reputarent vos errare. Et quamvis mille extarent indulta nostra, tamen appellarent vos parum fideles & nimis arrogantes, qui plus velletis sapere quam caeteri Christiani; nec possent vobiscum pacifice loqui. & nunc ab istis, nunc ab illis *molestaremini* (ss), habentes & in regno infensos, & extra regnum. Diligenter igitur pensatis omnibus, quae pensanda *in his rebus* (tt) fuerunt, non videtur nobis quod vel regi vestro, vel regno, & populo conducat id quod petitis; & quod illud vobis competit, quod ait Dominus filiis Zebedei: *Nescitis enim quid petatis*. Nos dispensatores sumus mysteriorum Dei. Ad nos pertinet pascere oves, & gregem Dominicum in viam salutis dirigere. Imitari nos convenit summum patremfamilias, qui noxia petentes nequaquam exaudit, & omnia dirigit in melius. Non intelligunt omnes quae sunt verba bona; atque idcirco saepe homines poenituit voti sui fuisse compotes. Hoc quod petitis non est ad vitam aeternam, fumum quendam & inanis gloriae ventum *quaeritis* [uu]. *Nos vestrarum animarum salutem* (xx) *optamus, atque idcirco negamus ea quae sunt illi contraria; hortamurque sub specie panis corpus & sanguinem Domini accipere contenti sitis, quod satis est ad salutem*, dicente Domino in eodem qui supra allegatus est loco: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Qui manducat hunc panem, vivit in aeternum*. Nec velitis pluris *esse quam illi discipuli*, [zz] *qui euntes in Emmaus, cognoverunt Dominum in fra-*

(qq) nobis.
(rr) *Deest*.
(ss) vilescerent nostri.
(tt) *Deest*.
(uu) quaerentes non
(xx) *Deest* hoc totum.
(yy) *Desunt omnia*.

N 2 *ctione*

ctione panis. *Nolite plus sapere quam oporteat sapere*, *& pluris* esse quam fuerunt patres vestri, qui communicantes sub una specie in *Christo* (zz) mortui sunt. Et non bene congruit eorum nomini & famae hic novus ritus: *Consolemini eorum memoriam*, (*aaa*) & conformemini reliquae Christianitati, quia turpis est pars, quae suo non convenit universo. Quippe si relicto ritu novo ad pristinam consuetudinem redieritis, *unietur* (*bbb*) & in seipso, & cum vicinis regnum vestrum, & pristinae opes cum pristina pace, gloriaque redibunt, eritisque in hoc saeculo felices, & in alio beati, praestante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & imperium per infinita saeculorum saecula. Amen.

(zz) Domino

(*aaa*) Consolamini eorum memoria.

(*bbb*) convenit.

NOTAE

In responsum datum oratoribus Bohemorum de compactatis.

1. Laudamus regem qui portam Domini videtur inquirere. *Consulto hac verborum ambiguitate usus est Pius, cum de regis Bohemiae obsequio erga Sedem apostolicam ageretur. Princeps enim ille catholicus haberi volebat, quamvis non obscura propensionis in Hussitas suae indicia praebuisset. Cum vero Uratislavienses parere se regi haeretico recusarent, hinc permaxime illius intererat ut exhibita in speciem Romano pontifici obedientia Catholicus, etsi non re, saltem specie reputaretur.*

2. Sicut Jacobellus putavit. *Jacobelli Misnensis & paroeciae S. Martini in urbe Praga rectoris celebre nomen est inter Hussitas. Eucharistiam sub utraque specie ne dum administrandam fidelibus per se suscepit, sed & ejus laicis distribuendae necessitatem non uno scripto adversus catholicos scriptores defendit. De scriptis Jacobelli cathalogum vide apud Fabricium Bibliot. Script. med. AEvi v. Jacobus de Misna.*

3. Quod

3. Quod nostri praedecessores semper .... negaverunt. *In oratione ad Callistum III. pontif. pro compactatis negata fuisse Bohemis compactata illa ab Eugenio IV. & Nicolao V. scribit; negandi vero causam ibidem affert, quod una cum compactatis & Rochezanam, hominem in fide plusquam suspectum, in Pragensem episcopum postularent. Adde his pontificibus compactata aversantibus & Callistum III., quem AEneae oratio nequaquam designavit.*

AD

AD RESPONSIONEM

Datam oratoribus Ludovici regis de extinctione Pragmaticae sanctionis

Argumentum.

Acceptam, uti quidam Galli affirmant, aliis negantibus, a S. Ludovico Galliarum rege pragmaticam Sanctionem Carolus VII. Galliarum rex in novam reformavit effigiem, atque Bituricensi conventui approbandam tradidit. Id, quoniam juribus Romanae ecclesiae officere plurimum judicabant, decoquere nunquam potuerunt Romani Pontifices, Eugenius IV. Nicolaus V. Callistus III. Frequentes igitur in Gallias legationes, & literas alias super alias dederunt: rogarunt saepe: impetrarunt nunquam. Ventum est tandem ad regnum Ludovici XI., qui validius, & enixius a Pio II. rogatus, sollicitatusque; forte etiam voti religione, qua se olim obstrinxisse fertur, sese exsoluturus consensit tandem, ut sanctio illa antiquaretur. Nobilis ad eam rem legatio instituta, cujus principes delecti sunt Richardus Constantiensis, & Joannes Raffredus Atrebatensis episcopi, S. R. E. cardinales, cum abbatibus & aliis primi ordinis viris. Legationem ingenti cum voluptate excepit Pius, nec minori gaudio audivit Atrebatensem episcopum, regiam voluntatem exponentem. Abiicere dixit regem suum pragmaticam omnem sanctionem, offerre in Turcos auxilium validum, unum tamen petere, ut Neapolitanum regnum Renato Andigavensi pontificia authoritate assereretur. Hanc Atrebatensis orationem splendido hoc responso Pius prosequutus est; in quo magnificis verbis pium hoc egregiumque factum Ludovici regis effert, tum & excurrit in decora regni Gallicani, quod supra ipsum Hebraeorum regnum, vel tunc cum maxime floreret, extollit. De rebus Neapolitanis nihil tangit. Ea tamen abrogatio, cum ingrata Gallis acciderit, quin & Parisiensis senatus restiterit, perseveravit parum, vel potius nunquam invaluit, si beneficiorum reservationes excipias pontifici juxta Romanas leges permissas.

RE-

RESPONSIO

Data oratoribus Ludovici regis Franciae *de* extinctione pragmaticae. (1)

PER *me reges regnant, & legum conditores justa decernunt*. Salomonis in parabolis haec verba leguntur (*a*) nec sunt hominis ex peccato geniti. Sapientia Dei, Filius Dei, splendor paternae gloriae, idest ipsum Dei verbum, per quod facta sunt omnia introducitur loquens. Ait enim paulo post eadem sapientia: *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quicquam fieret a principio, ab aeterno ordinata sum*. Haec est ergo quae loquitur increata Dei sapientia, idest ipse Deus, Dei Filius, qui cum Patre, & Spiritu Sancto unus est Deus. Sed quid sibi vult cum ait: *per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt*? profecto perinde est ac si dicat; non sunt reges qui sapientiam spernunt, non sunt reges qui Filium Dei non audiunt, non sunt reges qui non auscultant evangelio. Nec reges fuerunt, qui ante Salvatoris adventum praecepta sapientiae neglexerunt, nec Mosaycam legem, aut sanctos Dei prophetas audire noluerunt. O tu igitur quisquis es, qui solio sedes eburno, & purpura indutus, coronam gemmis onustam in capite geris, & sceptrum tenes in manu, & auro fulgens jura dicis populo, & legionibus imperas, & regio tumes nomine. Vis scire an tanto fastigio sis dignus? & an jure merito rex appellere? Delphicum illud oraculum in mente habeto: *Nosce te ipsum*. Inspice opera tua, & interiora tua cognoscito. Si gubernatrix illa & domina mundi, mater, & regina virtutum sapientia mansionem apud te fecit, & tecum habitat, & suae deliciae (*b*) *sunt* esse tecum, si recta praedicant labia tua, si veritatem meditatur guttur tuum, si audis filium Dei, si pares evan-

Ex MS. Cod. Lucensi; est etiam vulgata in Bibliot. Codicum MSS. Athenaei Taurinens. to. II. pag. 377. ex qua dantur variantes. Anno 1461.

(*a*) *Cod. Taur. addit.*: sed non sunt Salomonis, nec, &c.

(*b*) finit.

evangelio, si facis judicium & justitiam, & publica commoda praefers tuis, haud dubie rex es, & tanti nominis gloria dignus. Sin secus agis, tyranni personam induisti non regis. Sed quid de Ludovico rege Francorum dicemus, fratres? Quid artis, filii? dignum ne Ludovicum regio nomine judicabimus? regia ne sunt ejus opera? regius ne Ludovici animus? An legationem quam nunc audivistis pio & magno rege dignam censetis? An adhuc Dei sapientiam apud eum habitare judicabitis, qui tam insignem legationem, & de re tam desiderata, tam utili, tam necessaria, tam sancta misit? Ante oculos vestros duos cardinales cernitis magni regis vicem agentes, quorum dignitas, & auctoritas quanta sit non ignoratis. Cum his astant reliqui oratores, doctrina, nobilitate & virtute praestantes. Et quando similis hoc in loco vel visa, vel audita est legatio? Et quid afferunt regii legati? quid petunt? quid ajunt? omnia verba modesta sunt, obsequio, fide, reverentia plena. Afferuntur maxima, postulantur minima. Maximus rex se & sua primae sedi cum omni offert obedientia, & auxilia pro defensione fidei maxima & amplissima dignaque domo Franciae, feramque illam pessimam, cui pragmatica sanctio nomen fuit, ante oculos nostros captivam ponit, imo extinctam, & prorsus annihilatam. Et quod hoc est? multas haec bestia devoravit animas, & plurimas devoratura videbatur, nisi Ludovici regis digito fuisset occisa. Maximus regis animus, & maxima virtus quae tale monstrum interemit. Nec aliud petit quam jura sui sanguinis in regno Siciliae, quae multis verbis cardinalis Atrebatensis explicavit. De quibus seorsum alio tempore loquemur. An dignus amore, an dignus est laude Ludovicus? & quem diligemus, quem laudabimus, si hunc negligimus? Laudatur apud gentiles, & magnus habetur Hercules extinctor hydrae; majus hic monstrum, & periculosius interemit. Laudant Judaei suum Samsonem, ipsius Herculis fere coaetaneum, qui sua nece multis abstulit necem. Multo hic laudabilior qui sua vita servata multis praebuit vitam. Laudatur Caesar Constantinus, qui congregato apud Nicaeam patrum concilio vipereum Arii virus ab eccle-

ecclesia eliminavit. Gloriosior Ludovicus qui per se ipsum roboratam multorum *assipulatione* [ ] periculosam sanctionem delevit. Extollitur maximis praeconiis Sigismundus imperator, qui apud Constantiam Rhetiae urbem, adunata magna synodo, quod omnes damnabant & abhorrebant, schisma sustulit. Majus & utilius Ludovici factum, qui nullo adjutore, suo consilio, ingenio, sua constantia eam pestem ejecit de regno suo, quae a plerisque non pestis sed salus existimabatur, & magnos habebat defensores, & sub specie boni totam videbatur ecclesiam pessumdatura. Timebamus augmentum ejus, & ecce mortua est: timebamus ne penetraret ad alia regna, & alias nationes inficeret; & ecce ubi nata est ibi occisa. Timuimus ecclesiae ruinam; & ecce salvatio. O bone Deus quantum hodie malum extinctum est, ex quantis hodie periculis erepti sumus! tua ope salvati sumus, optime Deus. Verum est, Domine Jesu Christe, quod dixisti apostolis tuis: *ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*. Et iterum verum est, & verum experimur, quod B. Petro promisisti: *tu es Petrus*, inquiens, *& super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, & portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Servasti verbum tuum; verax es, & non est dolus in ore tuo. Saepe concutitur ecclesia, sed non frangitur; saepe ventis agitatur, sed non mergitur; saepe nutat, sed non cadit; saepe oppugnatur, sed non expugnatur; stat dextera tua, neque sinit hostes praevalere; quot saevierunt adversus eam procellae, quot tempestatibus & persequutionibus in hanc usque diem exposita fuit, & nunquam succubuit. Tuo semper munere majestatem suam servavit, quia non avertisti oculos tuos ab ea, dedisti ei protectores & salvatores multos, & (d) modo per hunc, modo per illum sponsae tuae, dilectae tuae consuluisti. Maximum verò & tutum & singulare praesidium ejus in clarissima Francorum domo collocasti; & hanc praecipue familiam elegisse videris, & heroicis ornasse virtutibus, ut esset quae Romanam ecclesiam & Christianam religionem adversus omnes malignantium defenderet impetus Et quippe, sicut in veteri testamento prae caeteris

(c) C. T. assipulatione.

(d) C. T. addit. & in Coelum per hunc.

Hebraeorum regnum amasti; ita & in nova lege regiam Francorum familiam praecipua quadam dilectione & charitate prosequeris, quae BB. Petri & Pauli jura ac privilegia speciali tuetur affectu, & curam habet prae caeteris apostolicae dignitatis. Miramini fortasse fratres ac filii, quod tantopere Francorum genus ac regnum extollimus; minus dicimus quam debemus, nec possunt aequari factis verba.

Ab eo tempore quo fuit Abraham usque ad Christi adventum multa fuerunt regna; nam antea non sunt historiae plenae de regibus, periere illa vetustiora. Antiquissimum ponitur Assyriorum regnum, quamvis & AEgyptii, & AEthiopes priores esse velint, & Scythae suam praeferant vetustatem. Assyrios delevere Medi, & illos Persae, qui Macedonibus cesserunt; & Macedones Romanis, qui simul cum Parthis orbis imperium tenuere, & Chartaginensium opes everterunt. Fuerunt & alia regna & vetusta, sed minora his, sicut Argivorum, Sitioniorum, Atheniensium, Lacedemoniorum, Trojanorum, Lydorum & aliorum quamplurium. Et multi in his regnis sceptra tenuerunt viri excellentes, sicut Ninus, & Arbaces, & Cyrus, & Craesus, & Priamus, & Agamemnon, & Caecrops, & AEgylaus, Alexander, & Arsaces; & ex Romanis & Africanis multi; quorumdam memoria periit; sed hi quorum extant nomina, quamvis famam habent, salutem non habent. Perierunt omnes viri divitiarum, & nihil invenerunt in manibus suis, quia non fuit cum eis sapientia Dei, nec per eam regnaverunt, sed ambulantes post desideria carnis in peccatis suis mortui sunt. Soli ex veteribus regibus aliqui Deo accepti fuerunt, qui nunc cum eo regnant. Ex Hebraeis, sicuti filius Isai, de quo gloriatus Dominus, quia invenit hominem juxta cor suum. Ingens gloria David & regni ejus, cui cedit omnis antiquitas. At si comparemus Hebraeos invicem ac Francos post regnum utrinque susceptum non pudebit Francorum nomen anteferre; eo tamen excepto quod de sanguine David natus est Salvator mundi rex regum & Dominus Dominantium, Christus Dei Filius, cujus imperium super humerum

merum ejus, qui de se ipso ait: *data est mihi omnis potestas in coelo, & in terra.* Non est, qui in hac parte Francorum gloria priscis Hebraeis aequari possit. At si caetera consideremus longè superior erit, sive originem gentis animo volvimus, sive regni amplitudinem, seu virtutem, & rerum gestarum magnitudinem pensitamus. Inspiciamus utriusque gentis originem. Hebraei ex pastoribus ad regnum venere, Franci ex Troja profecti, stirpem regiam praesetulerunt antequam regnarent, atque inde ortum habent unde Romanorum princeps Julius & Augustus sese natos gloriabantur. Exusto enim Ilio & Priami regno deleto, Trojanorum manus in Scithiam migravit, quae ultra Danubium ad Thanaim vergit. Juvenes erant regia stirpe creati, qui multitudinem secum duxere, nec Franci primo, sed Sicambri appellati sunt, Et diu, sicut caeterae gentes, Romano imperio servierunt. At imperante Valentiniano, cum barbari rempublicam invasissent, vocati in auxilium Sicambri egregiam operam navarunt, victoriamque pepererunt, propter quam rem libertate in decennium donati sunt, & Franci appellati, ex virtute nomen adepti. Hebraeis nomen indidit Heber, non quemadmodum Francis ipsa virtus. Elapso tempore cum tributum repeteretur, negatum est. Duo tunc erant Francorum duces priscae nobilitatis, ac virtutis juvenes, Priamus & Antenor. Ventum est ad praelium, vulneratus Priamus occubuit; victi Franci multis in bello desideratis in Germaniam protugerunt, & in Thuringia sedes posuere, Marcomede Priami, & Sunone Anthenoris jam defuncti (e) filiis principatum obtinentibus; quibus mortuis, Faramundus Marcomedis filius communi consensu gentis, primus imperium accepit, & primus omnium rex Francorum est appellatus, cujus regnum circa Mogaaum fuit, qui fluvius e regione Maguntiae influit Rhenum, & nunc Franconia in his locis habetur. Haec est Francorum origo; nobilissima profectò, & altis subnixa radicibus. Omnes reges, inquit Plato, ex servis orti, & omnes servi ex regibus. Franci, quamvis Romanis aliquandiù subjecti fuerunt, ex regno tamen ad regnum pervenere, & quidem nobilissimum,

(e) C. T. defunctis.

O 2 ac

ac maximum. Nam quae comparatio regni Hebraici ad regnum Francorum? Hebraei in Syria tantum regnavere, nec eam universam possederunt. Judaea his regnum fuit, & Palaestina regia, & saepe vicinarum gentium praeda fuere. Francorum regnum ab alpibus Italiae usque in oceanum protensum; rursus a Pyreneis montibus in Pannoniam procurrit, & longo tempore Italiam cum Romano imperio tenuit. Quot praeterea regna, sunt quae reges ex Francorum domo suscepere? omittimus occidentalia. Ipsa caput & columen Hebraeae gentis Herosolyma multis annis ex Francia reges accepit, & Francorum sanguini paruit. Quae una ratio satis est Hebraeos postponere. Quid Cyprum commemoremus usque in haec tempora [2] *a Francis regnatam*; & *Anti h am olim diù* (3) & Tyrum & Sydonem, & Achajam, & Thessaliam? Ipsa Constantinopolis & Graecorum imperium diù fuit in manu Francorum. Nec hodie regnum Franciae minus est, quam tota Syria; multo vero nobilius & fortius. Nunquam tanta Hebraeorum potentia fuit, quanta est Francorum, quamvis Salomonis opes, & currus & equites, & aedificiorum moles supra modum efferantur. Sed ad viros transeamus, ex quibus vera laus elicitur. Laudantur ex Hebraeis regibus aliqui; multi vituperantur. Contra in Franciâ multorum egregia facinora referuntur, pauci reprehenduntur. Saul qui primus apud Hebraeos regnavit, ipso Dei testimonio reprobatus est. Salomonis optimum regni principium, finis pessimus legitur. Filius ejus Roboam adolescentum stulto consilio credidit, & decem tribus a se alienavit. Reges aliqui sive in Juda, sive in Israel perniciosi fuerunt, nec excelsa abstulerunt, nec reipublicae alioquin bene consuluerunt, praeter admodum paucos, qui viam David ambulaverunt. In Francorum genere penè innumerabiles reperti sunt viri excellentes, & Deo grati. Namque, ut omittamus Clodium Pharamundi filium, qui primus regni fines ex Germania propagavit in Galliam; & Meroveum, a quo Franci Merovingi dicti sunt, & alios quamplures qui legem Christianam ignoraverunt; quis satis Clodoveum laudaverit primi Hilderici filium,

qui

qui non Sygrium Romanum, sed Alemannos, Gotthos, & Aquitanos a B. Dionysio baptizatus bello superavit? Carolus major in domo Franciae primi Pipini filius trecenta Saracenorum millia, si vero quadrat historia, apud Aquitanos unico praelio trucidavit, & ab immanissima gente Christianum nomen liberavit. Alter Pipinus hujus filius cum aliquandiu major domus fuisset, & multa edidisset praeclara opera, ad regnum tandem evectus bis Italiam intravit, ut Aystulphi Longobardorum regis insolentiam compesceret, ac Stephano papae, & Romanae ecclesiae piè consuleret. Perfregit iniquos Aystulphi conatus, pacem Italiae dedit, & beatos Apostolos Petrum & Paulum donis amplissimis honoravit. Pipino regi successit Carolus, cognomento magnus, cujus laudes nulla historia nova non habet; nulla poemata post eum edita nomen obticuere. Laudatissimus est inter omnes Carolus. Solem conabimur facibus adjuvare, si ejus amplificare laudes tentaverimus. Notum est omnibus sydus; fulget in oriente & in occidente Caroli stella, qui victis Bajoariis, Saxonibus edomitis, Sclavis, ac Pannonibus sub jugum missis, ingressus Italiam Desiderium Longobardorum regem obsidione fatigatum cepit, Romanae ecclesiae suum decus reddidit, Italiam pacavit; Saracenos multis affecit cladibus, & patricius Romanorum, deinde imperator augustus appellatus est. Sub cujus alis tota fermè Europa conquievit. Et non solum Ecclesiam Romanam magnis privilegiis decoravit; sed imperium ipsum magnificis operibus honestavit. Propter quas res *id ei* (*f*) cognomen tributum est, quod ante ipsum tribus tantummodo viris communi omnium scriptorum consensu concessum invenimus, ut magnus vocaretur. Id prius honoris Alexander Philippi filius, qui usque ad Indiam victor penetravit. Deinde Cnaeus Pompejus, qui omnia regna inter Thanaim, & Nilum Romano imperio adjecit. Postea Constantinus Helenae filius, qui publicè Christi ecclesias primus aperuit, consequutus est. Quartus denique ex domo Francorum Carolus dignus est habitus, qui tam praeclaris (*g*) *nominibus* aequaretur. Plures fuerunt in hac familia Caroli, digni laude, inter quos

(*f*) C.T. ideo

(*g*) C.T. hominibus.

is

(b) Carolus VII. is, (b) qui nuper decessit haud immeritò numerandus, qui maxima sui regni parte dejectus in pueritia, (4) vir factus divina ope, & sua ingenti virtute avitum & paternum regnum recuperavit. Fuerunt & Philippi, & Lotharii, & Arnoldi, & alii in domo Franciae clarissimi & fortissimi reges, quorum facta recensere longum esset, quando ad Ludovicos festinat oratio, quorum gloria in ea gente sublimis habetur.

Septem hujus nominis viros fama excellenti fulgentes in hac familia reperimus; nec nos latet fuisse plures, sed eos persequimur, quorum sunt nomina illustriora. Primus fuit Ludovicus magni Caroli filius, qui tres natos suos reges vidit; quorum natu major Lotharius etiam Romano praefuit imperio. Alter fuit Ludovicus, qui Germaniam regens, Pannonos ac Mysos, qui nunc Rasciani vocantur, & Bulgari, suae potestati subjecit *Lotharii germanus* (i). (i) Deest. Tertium Ludovicum Lotharii filium ponunt, qui suscepto imperio Saracenos & Graecos Italia pepulit, & reddita ecclesiae pace suavissimus imperator est judicatus. Quartum Ludovicum eum memorant, qui cum Conrado imperatore Germano, inita societate ad praedicationem sancti viri Bernardi abbatis Claraevallis, cruce signatus, adversus Turcos ingentes copias in Asiam trajecit, multaque Saracenis intulit damna. Quintus Ludovicus, signo Crucis apud Lugdunum accepto, cum potentissima in orientem classe navigavit; Damiatam ab obsidione Soldani liberavit; Saracenos graviter afflixit; res clarissimas gessit: & quamvis adversa fortuna captus fuerit, redemptus tamen, non prius rediit quàm Joppen, & Sydonem, & Caesaream maritimas urbes in potestate Christianorum constitutas, tutissimis moenibus & praesidiis communivit. Sextoque demum suae peregrinationis anno domum revisit, non ut quiesceret aut otio marceret, sed ut fortior rediret in hostes. Neque enim diu moratus, aliam expeditionem adversus Saracenos in Africa morantes instituit; & cum tribus filiis adolescentibus, ac Theobaldo rege Navarrae, & apostolico legato comitantibus, Massilia solvens, apud Tunisium copias exposuit, non procul ab antiqua Carthagine,

tantisque viribus civitatem obsedit, ut hostes deditionem consulerent. Sed oborta lue in castris acerba, primo Joannem regis filium, deinde legatum, & postremò regem ipsum mundo ablatum coelo reddidit; nec tamen castra deserta sunt virtute Francorum. Supervenit Carolus, quem Siculi primum vocant, cujus opera his conditionibus pax facta est, ut Afri tributum pendentes evangelium Christi apud se libere finerent praedicari. Tanti fuit momenti virtus *Ludovici V* (*l*) cujus etiam mortui valuit auctoritas. Sextum Ludovicum Caroli Secundi Siciliae regis filium ponimus, Francorum genere natum, qui relicto saeculo in religione B. Francisci ita castè, ita piè, ita mundè vixit, ut post obitum inter sanctos Christi confessores ex decreto Romani pontificis Bonifacii VIII. relatus fuerit. Maximum est hoc Ludovici nomen in domo Francorum; gloriosa Ludovicorum fama, & in omne tempus celebranda; quae in Ludovico nostro haud quaque imminuta est, sed aucta potius, qui suorum progenitorum vestigiis inhaerens, talem sese conatur exhibere, quales fuere generis auctores Clodoveos, Pipinos, Carolos, Philippos imitatur, & Ludovicus nomine priores exprimit Ludovicos: septimus inter eos qui clariores habentur, vera Francorum soboles, verus magni Caroli sanguis, verus Ludovicorum successor & haeres, qui nec frangitur adversis rebus, nec secundis intumescit. *Nostis* [*m*] quae fuerint hujus regis pueritiae rudimenta, literas didicit, & moribus indutus optimis, religionis amantissimus fuit, vitiorum hostis, virtutis cultor. In adolescentia multa ei adversa fuerunt; accusatus ab improbis invitus a patre recessit, quem sibi maligni & iniqui delatores infestum reddiderant, necesse fuit calumniatoribus cedere *bis bonus adolescens* (5), & in armis elatus, & victoriis illustratus, patris conspectum fugere coactus est. Et quamvis multas urbes, & multas provincias ex manu hostium recuperaverit, & nomen excellens inter belli duces obtinuerit, plus tamen invidia potuit, quam sua virtus. Dulcem patris vultum maledica lingua sibi fecit amarum Infortunatus eo tempore juvenis, non solum patris curiam perdidit, sed Delfina-

(*l*) Ludovicus IX.

(*m*) C.T. Noscis.

(*n*) Deest. finatu quoque ejectus est, (*n*) *qui more vetusto primogenitis est obnoxius*. Exul igitur & exsorris, sine imperio, sine dominio, sine terra, paucis comitatus amicis in Burgundiam migravit ad Philippi ducis consanguinei sui, (*o*) florentes opes. (*o*) *opes*, qui juvenem non ut exulem, sed ut dominum accepit, & veneratus est; apud quem diu mansit, fuisseque proculdubio genitori reconciliatus. Jam enim innocentiam filii pater noverat, nisi reditum timuissent qui ejecerunt. Sed ostendit in obitu pius pater, non bene seipsum filium ejecisse, qui moriens eum sibi successorem ordinavit. Ludovicus, dum extra gratiam patris ageret, nihil impium cogitavit, nihil durum; sed tanquam Dei judicium patris arbitrium tulit, dicens; haec mihi accidunt, quia non servavi divinam legem, non audivi Filium Dei, non parui evangelio, non fuit Dei sapientia mecum. Ac si Deus dederit, ut in regnum aliquando redeam, alium agam hominem; studebo Deo placere; eique se sepiùs commendabat, ac BB. Apostolorum Petri & Pauli patrocinia implorabat. Erat sedulo in oratione, aeleemosinas quas poterat elargiebatur, & multa pro suo reditu vota vovit. Exauditus est pro sua justitia; mortuo patre cum summa omnium quiete in paterno & avito regno receptus est, clamante populo: *benedictus qui venit in nomine Domini*. Et sicut de Alcibiade apud Graecos traditur: non tam ignominiosè abiit, quam gloriosè reversus est. Sed audiamus quid agat Ludovicus in paterno solio collocatus; an ludis & choreis indulget? an vino madet? an crapula dissolvitur? an marcet in voluptatibus? rapinas meditatur? an sanguinem sitit? Nihil horum. Id tantum cogitat quod Deo gratias agat. Reddit vota quae vovit; sacrificia offert divinitati quae sunt acceptissima, justitiam, innocentiam, & pietatem. Expulit, ut fama est, lusores & blasphemos ex curia sua, luxum non solum in rebus gravibus, sed etiam in vestimentis inhibuit. Ordinat inordinata, nullum tempus inutiliter expendit, audit supplices, & nulli sua jura negat. O beatum Franciae regnum, cui talis rex praesidet! O felix exilium quod tale remisit praesidium! Et utinam qui regnant omnes, aliquando fuissent mise-

miseri. Multum valet aliena vidisse praetoria, & alienum comedisse panem. Laudatur apud Homerum Ulysses, qui multorum hominum mores vidit & urbes. Nec noster David tam gloriosus fuisset, nisi praecessisset exilium & odium Saulis. Digna sunt Ludovici opera quae caeteri reges imitentur; hoc est regem esse, idest sapientiam Dei secum habere, & per illam regnare. Non est igitur cur dubitemus Hebraeo Francorum genus & regnum praeferre, in quo tot clarissimi reges & imperatores floruerunt. Et nunc Ludovicus ei praeest, ingens virtutis specimen, & singularis documentum pietatis, qui ut matri suae ecclesiae Romanae, & populis Franciae piè consuleret, noxiam & perniciosam bestiam, quam vocavere pragmaticam, de regno suo eliminavit, ac prorsus extinxit. Quid aitis, fratres? Quid censetis omnes? audimus, quid tacite inter vos dicitis? Cedat Francia Hebraeis propter Christum Salvatorem. Cedat alioquin Hebraeus Franco (p) & omnis antiquitas. Nam quis Francorum sanguinem satis pro meritis laudaverit, ex quo tot pullularunt excellentissimae plantae? Tot illustres principes emanarunt? Tot animae candidae prodierunt? Inter quas Ludovici praesentis regis splendidissimam fore confidimus, cujus gloriosa opera quamvis essent omnibus nota, hodie tamen extincta pragmatica atque sepulta, & restituto apostolicae sedi decore pristino, & integra obedientia reddita, & tam magnificis oblationibus pro tutela fidei nostrae factis, magis ac magis innotuere. Nam quae regio in terris, hujus egregii facinoris non rumorem accepit? Quis non audivit quo animo, quo consilio, quo ingenio pragmatica sublata est? Ultra Sauromatas & glaciale oceanum, ultra anni solisque vias ubi caelifer Athlas axem humero premit stellis ardentibus aptum, hujus praeclari facinoris fama penetrabit. Annotabuntur haec in annalibus regum, & in archivis ecclesiarum ad posteritatis memoriam recondentur. Nulla aetas de Ludovici laudibus conticescet. Apostolica sedes sibi & natis suis, & natis natorum, & qui nascentur ab illis tantae pietatis memor gratissima erit. Nomen ejus cum Constantino I. cum Justiniano, cum Theo-

(p) cedat & omnis.

Theodosio, cum Carolo magno, cum caeteris piis imperatoribus celebrabit; hoc illi praestabit ecclesia, quae Christo militat in terra. Nec triumphans illa, in coelesti Hyerusalem Ludovicum pro tam excellenti opere irremuneratum praeteribit. Sed perseverante in devotione suae matris, in tutela fidei, in administratione justitiae, in dilectione Dei & proximi usque ad finem vitae beatitudine donabit aeterna: animam ejus laetitia plenam miro splendore lucentem, fulgentemque (q) suscipi, & altissima Paradisus, & inter felices sanctorum chorus in sede lucidissima collocatam ad visionem admittet omnipotentis Dei, ut cum Angelis & aliis beatissimis spiritibus gloriae *conditoris* [r] assistens summo & indeficienti bono fruatur, cujus & nos cum populo nobis commisso participes efficere dignetur pietas divina, cui est honor & gloria per infinita saecula. Amen.

(q) Suscipi & Paradisus

(r) *Deest.*

NOTAE

1. DE extinctione pragmaticae. *Pragmaticae sanctionis nomen tam celebre est, quam ignotum multis quid res ipsa tulerit. Hic ego nonnulla promenda censeo, quibus lux orationi huic affundatur. Sanctionem hanc Ludovicus IX. Galliarum rex, qui S. Ludovici nomine claret, primus edidisse fertur, quamquam id incertum, & a multis plane negatum. Utcumque tamen se habeat res de authore constitutionis, illud constat, Carolum VII. Galliarum regem sive sanctionem S. Ludovici reformasse, atque auxisse, sive novam, seu omnium primum instituisse, quam dein sanctionem Ludovicum XI. filium ejus & regni haeredem, instante Pio II. pontifice, abrogasse. Constabat sanctio illa plerumque ex decretis Basileensis concilii ad Gallicanae disciplinae praxim accommodatis, aliisque nonnullis Gallicanae ecclesiae consuetudine probatis legibus. In Articulos tres supra XX. partitur; quorum prior ea omnia admittit, quae de authoritate, loco, & tempore habendo-*

dorum generalium conciliorum Basileenses statuerant. Succedit alter de electionibus, quae liberae Canonicis ecclesiarum, Monachisque dimittuntur, sublatis quae juribus illorum obstabant, Romani pontificis reservationibus. Tertius & quartus titulus eas amovet sive generales, quas vocant, sive peculiares beneficiorum reservationes, pristino canonum juri beneficiorum collationibus restitutis. Hinc neque gratiis expectativis aliquid deferendum edicitur. Quidquid vero literatis viris Basileense concilium assignat loci in capitulis ecclesiarum collegiatarum, hoc idem constitutio ista sanctum habet & ratum. Titulus quintus appellationes ad Romanam curiam in arctum cogens, omnes, exceptis majoribus in jure expressis causis, ne alibi primo agitentur, quam apud ecclesiasticum loci judicem, tum ad eum deferantur, qui judici illi ordine praeest. Si qui verò ita pontifici subsint ut alteri nemini pareant, de causis quidem illorum cognoscere pontifici jus esto; pontifex tamen per delegatos judices causam illam in partibus tractet & definiat. Sextus titulus ne ab interlocutoria sententia bis provocato. VII. Ecclesiasticum quodcumque munus si quis gerat quod non sincero, sed fucato titulo susceperit, si triennio quietus possederit, hunc ne removeto. VIII. De S. R. E. cardinalibus haec statuit, quae synodus Basileensis. IX. annatas sive alia id generis vectigalia Romae solvenda pro beneficiis adimit. Tituli reliqui usque ad XVIII. leges religiosam psallendi in choro rationem praescribunt. Quae dein Basileae sancita fuerunt de spectaculis in ecclesia nequaquam praestandis, tum & de concubinariis clericis puniendis titulum XVIII. & XIX. constituunt. Succedit XX. de excommunicatis non vitandis, qui perinde omnia ac Basileensis canon repraesentat. XXI. de interdictis indifferenter non ponendis *inscribitur; atque is est quem Basileenses formaverant. Si quis fortè in literis apostolicis narretur, seu excidisse, seu privatus esse beneficio, huic ea narratio noxae ne sit, ni certis documentis haec accusatio veritati congruere constiterit. Haec olim Basileensibus visa, eademque in sanctione pragmatica tit.*

XXII. repetita. XXIII. postremo constitutiones illas rex servari omnibus mandat.

Haec summa pragmaticae sanctionis Caroli VII., in qua nihil de causis ecclesiasticis ad laicorum tribunalia raptis. Id vero cum pragmaticae sanctioni hic, & alibi exprobret Pius, sanctionem pragmaticam confudisse illum oportet cum aliis Gallicis consuetudinibus, quibus laedi ecclesiasticae libertatis jura censebat; cujusmodi illa est consuetudo, qua supremus senatus a judiciis clericorum provocantes tanquam de abusu excipit.

2. Quid Cyprum usque in haec tempora a Gallis regnatum? *Richardus Angliae rex captum a se Cypri regnum an.* 1191. *sequenti anno vendidit Guidoni de Lusiniano Gallo, cujus familia tandiù ibi regnavit, quandiù adversus Saracenos potentia valuit & armis. Anno tandem* 1426. *Soldano AEgypti cum valido exercitu regnum illud invadente cedere coactus est Janus, qui ex ea familia postremus absoluto imperio regnavit, atque ita ex supremo principe subditus & tributarius Turcarum effectus est.*

3. Antiochiam olim diù tenuit. *Antiochenus principatus in potestatem crucesignatorum venit an.* 1097. *quibus concedentibus in Boemundum Northmannum transivit, a quo jure haereditario in posteros transmissus est. Anno tandem* 1269 *Rex Mamaluchorum AEgypti ditionem illam occupavit, Boemundo VI. expoliato.*

4. Qui maxima regni sui parte dejectus in pueritia. *Carolus VII. rex, olim, dum adhuc Delphinum ageret, offensam Philippi ducis Burgundiae incurrit. Contendebat Burgundus necem Joanni patri suo illatam Delphinum potissimum authorem habuisse. Hinc odium, quo instigante, eo est ventum, ut regni Galliarum administratio, agente Burgundo, Henrico Angliae regi committeretur, Carolo VI. tunc in Gallia regnante abstinere jusso tanquam mente esset imbecillior. Tunc dies dicta Delphino, damnatus absens, regno privatus, ac exilio multatus. Vid. Spondan. ad A.* 1426. *VII.*

5. Bis bonus adolescens patris complexum fugere coactus est. *Causas cur Carolus VII. Ludovici XI pater, filium*

filium illum suum egerit in exilium alii alias praetendunt. Sunt qui totius rei invidia patrem onerent; aliis malus est filius. AEneas Sylvius tum hic, cum in Comment. sub Gobelini nomine edito lib. 6. filium, patremque excusat, in malignos delatores culpa translata. Quacunque ex causa bis Ludovicus a patre extorris secessit; semel quidem incomperto mihi anno; iterum vero anno 1456. quo ad Philippum Burgundiae ducem profugit. Scribit Gobelinus, sive AEneas ipse in Comment. lib. 6. filium in patris gratiam tandem rediisse; alii vero apud Spondanum ad A. 1456. revocatum quidem tradunt a Carolo Ludovicum, sed illum venire recusasse, quod diceret adversarios suos adhuc in aula perseverare. Ambiguum proinde haesisse Carolum num sponte nolentem armis invitum cogeret. Res dum extrahitur, Carolus obiit.

IN ORATIONEM

Ad Quirites

Argumentum.

EXpeditionem in Turcas meditanti Pio accidit molestum, quod Renatus Andegavensis, qui annis saltem octodecim quietus pertulerat illatam sibi, ut rebatur, injuriam, motus ex improviso cierit in Neapolitano regno, nec ab inferendis infestis armis abstinuerit. Ferdinandum Neapolitanum regem, quem arma ista vexabant, juvandum submissis copiis censuit Pontifex. Novum hoc bellum expeditioni impedimentum afferens invidorum linguas in Pium acuit. Factum igitur illud suum hac oratione Pius excusat, dandum id contendens foederi cum Ferdinando inito, dandum molestiae quam ex Gallicis armis ditio Pontificia tolerabat. Hanc orationem quam hic ex Lucensi codice repraesento integram pariter recitat Gobelinus lib. 5. pag. 121. ex quo variantes exhibeo. Perorata est oratio anno 1461.

ORA-

ORATIO VI.

AD QUIRITES

De ratione ſuſcepti belli pro defenſione Ferdinandi Regis Siciliae.

INgentes vobis, Quirites, habemus gratias, qui nobis reipublicae cauſa procul agentibus; quamvis hinc juventus petulans craſſaretur in urbe, illinc baronum rapacitas popularetur agros, & novas res quaereret; in officio tamen perſeveraſtis, & tandem redeuntibus ſalvam urbem reddidiſtis. Licet fidem & prudentiam veſtram extollere; fidem, quia non audiſtis eos qui vos a vero Domino alienare conati ſunt; prudentiam, quia rei veſtrae ſalubriter conſuluiſtis. Nam quid civitati Romanae utilius eſſe poteſt, quam eam curiam alere, unde alitur; & quae opes undique affert? Quid glorioſius, quam ei ſubeſſe Domino, qui ſuper omnes mortales habet imperium; qui B. Petri ſucceſſor & Jeſu Chriſti vicarius? cujus exoſculari pedes cuncti reges deſiderant; cui divinitus datum eſt coeli portas, vel aperire, vel claudere. Sapitis certe qui ei domino fidem ſervatis, cui ſervire regnare eſt. Sed non idcirco in praeſentiarum vos accerſivimus, ut de veſtra laude faceremus verba. Alia vocationis eſt ratio. Sunt nonnulli, ut accepimus, qui veſtras aures pernicioſis & falſis rumoribus implent, & nos belli amantes incuſant, qui cum pacem habere *poſſimus* (a), arma praeferimus, & in regno Siciliae cauſam tuemur iniquam, unde bellum domi & circa muros *vobis* (b) exortum ſit, & vos noſtra culpa plectamini. Quibus ex rebus neceſſarium duximus vobis in concionem vocatis de rationibus hujus belli ad verum diſſerere. Sic enim & nos arma odiſſe, & pacem atque otium cupere cognoſcetis, & hanc belli-

(a) *Edit.* poſſumus.

(b) *Edit.* urbis.

ligerandi caufam non modo juftam, fed neceffario effe nobis impofitam.

Nec nos fomnia referemus & inanes nugas, quibus delectantur & nutriuntur inimici *noftri* (c). Veritatem ipfam finceram & nudam afferemus in medium, cujus fi videri facies poffet, fplendidior erit quam lucifer, aut hefperus, & in fine femper victrix. Deus novit corda hominum folus, & ipfe renes noftros fcrutatur, & videt, & fcit quia non mentimur. Nihil nobis pace charius eft, nihil acceptius, cujus nomen, ut inquit orator, dulce eft, & res ipfa tum jucunda, tum falutaris. In ea legibus obeditur, fubjectis confulitur, Deo fervitur, nulli fas eft impune peccare, fua *virtuti* [d] praemia, & fua redduntur ftipendia vitio. Contra, bellum mala omnia nutriens, divina & humana quaeque confundit. Odimus bellum, cujus finis non eft pax; horremus ftrages hominum, nec fanguinem fitimus humanum, nec noftrae fedis eft ferrum ftringere, aut difcordias ferere. Quietem nofter animus & fubditorum pacem femper optavit; fed quomodo in bellum tracti fuerimus audite. Brevis narratio eft.

(c) Ed. veftri.

(d) Ed. virtute.

Cum (e) occupaffet Mahumetes Turcorum princeps regiam urbem, quam vocant Conftantinopolim, & victoria tumens, non Graecis tantum, fed Hungaris, Italis, Teutonibus, & reliquis Chrifti cultoribus, extrema omnia minaretur; Italia vero graviffimis bellorum flagraret incendiis, dedit operam Nicolaus pontifex maximus, nofter anteceffor, ut convenientes in unum Italici potentatus arma deponerent, & ut hofti religionis Turco facilius obviam iretur, non folum pacem inter fe ftatuerent, fed foedus quoque percuterent, quo alter alteri fubveniret, fi cui ex foederatis injuria fieret. Foederis caput & confervator & director inftitutus eft Romanus praeful. Vivebat tunc Alfonfus Aragonum & Siciliae rex, fama clarus, & opibus atque confilio potens, qui poft fummum pontificem primus in conventis appofitus eft fuo nomine, ac filii Ferdinandi regis & haeredis futuri, quem matrimonio natum regni capacem apoftolica privilegia reddiderant. Hoc foedus Nicolaus, ut fie-

(e) Ed. addunt fuperioribus annis.

fieret, persuasit; Callixtus successor approbavit; & nos de consilio fratrum confirmavimus. At cum obiisset Alfonsus vivente Callixto, filiusque regnum ab eo exposceret, non annuit pontifex, sed regnum ad ecclesiam devolutum declaravit; statuens illud etiam armis vendicare: jure an injuria, non est hujus ratiocinationis. Cogitationes ejus repentinus obitus intervertit, qui quadragesimum intra diem Alfonsum est subsequutus. Nos suffecti, ecclesiam turbatam & undique laceratam invenimus, Assisium, Gualdum, Nuceriam Picininus per proditionem invaserat. Arces ecclesiae munitissimas praefecti, quos (1) Borgias, Callixti nepos, imposuerat, restituere abnuebant; Ferdinandus investituram regni petebat; nisi impetraret, bellum minabatur. Nos milite carebamus. Illi Picininus militabat, & dux Mediolani erat amicus. Videbamus non parvum ecclesiae discrimen impendere. Rem ad Senatum deduximus. Placuit cardinalibus omnibus, etiam Gallicis, Ferdinandum investitum iri. Latinus cardinalis Ursinus in regnum missus Ferdinandum investivit coronavitque. Renato si quid juris competiit, haud ablatum est. Ferdinando regni principes, duces, barones, comites, populares omnes obediebant, eumque sibi constitui regem petierant, & in ejus verba juraverant. Aut regnum ex testamento patris ad Ferdinandum pertinuit, & jure illi concessum est; aut ad Renatum, & nihil ei ablatum, cum salvum velint apostolicae literae jus alienum. At cum de jure dubium esset & uterque coloratum *prae* (f) se titulum ferret, licuit possessorem praeferre. Si neutri jus competit, non tulit injuriam qui jure caruit. Si devolutioni fuit locus, & Callixti declaratio vim habuit. Quae superest Renato vel alteri querela, si cum fratribus nostris regnum ad ecclesiam devolutum Ferdinando concessimus? Nos hic Romae, priusquam discederemus, & Mantuae in conventu ex Senis, quotiens de regno ab oratoribus Renati fuimus interpellati, semper juris viam obtulimus. Ipse vero plus in armis, quam in jure confidens, dum nos Mantuae contra Turcos intenti sumus, classem validam, cum filio in regnum misit, & (g) his pecuniis comparatam, quas

(f) *Ed.* per

(g) *Ed.* Ex

Alanus Coetivus Avenionensis archiepiscopus.

Cardinalis Avinionensis ex decimis cleri Gallici contra Turcos promissis triennio ante congregaverat. Barones regni ad res novas concitavit, pacem illarum partium turbavit, rapinis, caedibus, incendiis omnia foedavit, expeditionem contra Turcos impedivit, &, quantum in se fuit, Christianam religionem pessundedit. Quamvis speramus adhuc labores nostros pro communi utilitate susceptos haud omnino perituros. Ferdinandus, cum se in periculo cerneret, deficientibus a fide subjectis, & armis hostium in dies magis ac magis praevalentibus, suam ruinam cognosceret, auxilium a nobis petiit, penes quos directum esset dominium. Commemoravit foedus, de quo supra diximus; rogavit ne sibi pereunti deficeremus, ne promissam postergaremus fidem. Promisimus auxilium, jussimus bono animo esset. Verum priusquam copias in regnum mitteremus, archiepiscopum Ravennatem eo direximus, gravem & justum virum, qui partem utramque juberet ab armis discedere, & viam pacis aut tractantibus amicis, aut juris ordine quaerere. Iter erat per terras jam Renato *parentes* (*b*) faciundum. Petitur a filio publica fides; ille se a patre missum, ut bellum gerat, non ut quaerat pacem, respondet. Interea Ferdinandum acrius urgebat armis, & prope jam erat ut regno deiiceret, adeo regnicolarum inconstantia ac perfidia res immutaverat. Nobis turpissimum videbatur, eum, quem regem appellavissemus, vi atque armis sine judicio, sine legibus, sine causae cognitione paterno regno deturbari. Misimus auxilia, non quae Renatum regno privarent, sed quae Ferdinandum in sua possessione tuerentur; quod non solum ex foedere nobis incumbebat, verum etiam ex dominio regni directo, quod penes Romanam ecclesiam consistit: quod si non bene successit, nam copiae nostrae debellatae fuerunt, & jam hostes ad nos arma verterunt, & nostros populantur agros; nihil tamen minus de justitia nostra confidimus. Non semper justa superior invenitur causa. [*victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni*, apud Poetam legitur] Saepe Christiani ac Judaei in bello cecidere pro religione pugnantes. Fatemur omnem a Deo victo-

(*b*) *Ed. patentes.*

Haec Lucani sententia deest in editis, sed & in sequenti oratione legitur.

victoriam esse; sed disponi aliam, permitti aliam; nec nos arcana Dei attingimus, cujus judicia abyssus multa. At, secundum quod homines judicant, nemo est qui bellum nostrum possit injustum dicere. Si partes nostrae semel succubuere, ita Deo placitum fuit, non propter justitiam hostis, quae summa est injustitia. *Castigavit nos Deus noster*, ut inquit propheta, *sed morti non tradidit nos; multae tribulationes justorum, sed de his omnibus liberabit eos Dominus*. De justitia partis adversae quid attinet disputare? quae oblatam a vero judice justitiam respuit, & violentiae viam elegit, ac vetante Domino prorumpit ad arma. Quo facto, etiamsi jus ei competiisset, ab eo cecidit. Et praesertim quod, ut ante diximus, conatus nostros pro defensione fidei contra Turcos perturbavit.

Intelligitis jam *plane* (i), Quirites, nostrae causae honestatem, & quod nullam contra nos justam querelam reliquimus adversariis. (*Nunc quas ipsi nobis injurias intulerunt, audite*) (l) Praeterimus scripta multa, quibus nomen nostrum dehonestare conati sunt, & legationes ad concitandos contra nos principes missas. Tacemus impedimenta praestita expeditioni contra Turcos apparandae, quae possunt trahi ad causam fidei. *Omittimus* (m) Jacobum Piciniuum ei militantem, vexilla nostra injussu nostro detulisse, *Esculanamque* (n) urbem nobis furto surripere tentavisse. Silemus alia multa, ut breves simus. Illud silere non possumus, quod idem Piciniuus nobis novissime significavit, se scilicet Joanni Duci Calabriae militare, jussumque esse non Ursinos modo, sed nos, subjectos nostros Romanos, urbem, & omne patrimonium beati Petri armis invadere; minora fecisse quam juberetur; posthac imperata facturum, cuncta igni ac ferro vastaturum. Nos vero compertum habemus, non solum ex his qui deprehensi sunt, verum & ex cyrographis conspiratorum, qui miro modo & divina quadam ope in manus nostras pervenere, Jacobum Piciniuum convenisse cum Tyburtio (2) & nonnullis baronibus per circuitum urbis morantibus, Romanum populari agrum, Tybur diripere, juventute portas aperiente ingredi urbem,

(i) Ed. plene.

(l) Desunt haec in editis

(m) Ed. omittamus.

(n) Ed. Asculanamque

bem, domos curialium, negociatorum & opulentorum civium praedae exponere, camerarium capere, ac pecunias ejus inter se partiri, nepotem nostrum obtruncare, filiabus & uxoribus vestris vim inferre, pueros ad militiam rapere, & alia admodum multa aggredi nefanda; quae proculdubio patrata fuissent, nisi noster exercitus ex Apracio festinans currenti occurrisset Jacobo, & nos urbem celeri passu repetissemus. Immortali Deo gratias agimus, quod tam nefarios praevenimus ausus, & tantum avertimus malum. Quomodo igitur justi adversarii? Quo pacto Joannes excusatum se reddet, qui talia contra nos molitur, & ducem Calabriae se vocitat? Si dux est Calabriae & regis futurus haeres, & noster subditus est. Et quid scelestius quam dominorum fallere dexteras? Si nihil ad eum de regno; at Christianum se dicit. Si Christianus; quo ausu Christi vicarium persequitur? Aut qua conscientia ministro utitur Picinino, qui omnes per circuitum ecclesiae subditos pertentat? Si quis adsit qui prece vel pretio suo de more fidem venalem habeat? Quid Picininum nominamus? quasi fides sit ulla in armis, & non omnes militiae astricti perjurio infames, sceleribus nobilitati, tanquam ministri diaboli urbes ac regna perturbent? Picininus ex Perusinis ortus, ipse sibi viderit, quem domestica trahunt exempla. Joannem non satis possumus admirari, quem regio sanguine natum horrere scelera putabamus.

Quidam vulgo dicunt, nec Joannem, nec Picininum contra nos arma movisse; Ursinis tantum intulisse bellum. Nos quae certa comperimus exposuimus. Illa verissima sunt; haec falsa. Sed esto, Ursinos dumtaxat invaserint. An non Ursini ecclesiae subditi sunt? *An* (*o*) qui eos laedit, nos non laedit? Nos & Ursinorum, & Columnensium, & Comitum, & Sabellorum (1) dum in officio perseverant, curam gerimus; & qui contra eos militat, contra nos militat. Justissima ergo sunt arma nostra, & honestum bellum pro subditorum salute susceptum. Sed quoniam de Sabellis fecimus mentionem; scitote Jacobum Sabellum unum esse ex his, qui cum Picinino conspiravere; quod si negaverit, praesidium testi-

(o) *Ed.* &

testimonium affert, quod in Palumbaria, ab illo recepit. Rogavimus, ut *resipisceret* (p) ejiceretque Braccianos milites, veniam daturi praeteritae culpae; noluit audire: damnavit eum in capitolio senator: juste in eum animadvertimus, parsuri si se correxerit, nec boni patris officium redituro negabimus unquam.

Non sumus ergo belli amantes, nec sponte tractamus arma, nec pro re levi certamus; pro fide retinenda, pro auctoritate ecclesiae conservanda, pro subjectorum quiete, pro salute civium, pro focis, pro aris, pro uxoribus, pro liberis vestris, Quirites, bellum suscepimus. Nec nos primi sumus, qui pro regno Siciliae, quod est ecclesiae, sumpserimus arma. Eugenii quarti & Martini quinti meministis ferme omnes; patres vestri Clementes, Bonifacios, Nicolaos viderunt; quis illorum se immiscuit, ut reges, quos instituerant, pro gloria Romanae sedis in regni possessione servarent? Facessant igitur vani rumores, sileant qui nos sine causa bellare contendunt. Et vos, filii amantissimi, nolite his vocibus auscultare; compescite maledicos, veris tantum sermonibus aures adhibete. Si quis unquam pontifex dilexit otium & hujus urbis amavit quietem; nos illi sumus, qui Romam tanquam patriam diligentes, & vos omnes pro sedis dignitate filios, pro patriae charitate fratres, pro majorum gloria parentes habemus & colimus. Nam & nos ab origine Romani sumus. Piccolominea domus, quae nos genuit, Senas ex hac urbe migravit, sicut (AEneadum, Sylviorumque nomen in familia nostra frequentissimum indicat).

Dicunt adversarii nos hanc urbem habere odio. Et quo vultu haec ajunt? qua ratione? (q) hinc ortum habet prosapia nostra, Romani ac Senenses semper amici fuere. Hic nos sacri presbyteratus accepimus ordinem, (r) hinc cardinalatum, & summi apostolatus apicem sumus adepti. Et quis eam civitatem odio habeat, in qua summis honoribus cumulatus fuerit? semper amatus, nunquam laesus. Amamus vos, Quirites, & super omnes homines magnificamus; nec nobis major cura est, quam ut Romanum populum honoribus atque opibus cumulemus,

(p) Ed. resiperet.

Ed. addunt: multoties diximus. *Reliqua lineis clausa desunt*

(q. *Ed. addunt* qui colore?

(r *Ed addunt* Hinc episcopatum.

mus, quod ſine pace fieri non poteſt. Atque idcirco pacem ſemper quaeſivimus. Verum ubi juſtitia & neceſſitas urget, non ſolum bellare, ſed vitam ponere ſumus parati, ne vel dignitas noſtrae ſedis, vel hujus urbis gloria pereat. Pacem, quae nihil inſidiarum habeat, nil turpitudinis ſecum ferat, nec recuſavimus unquam, nec recuſaturi ſumus. Haec fuere, Quirites, quae vobis nota eſſe voluimus. Sybillae folium recitavimus. Mendax & vanus eſt qui alia vobis ſuggerit. Nolite audire mendaces, neque frangamini paucis incommodis agitati. Poſt tempeſtatem aderit ſerenitas. Suſtinete modicum, cito finietur hoc bellum, & pax pulcherrima cum veſtra & noſtra gloria reformabitur.

AD

AD SEQUENTEM ORATIONEM EDITORIS

Admonitio.

E*Adem eſt omnino ac praecedens oratio; verbis tamen paſſim commutatis. Cur repetatur in noſtro Lucenſi codice aeque cum ignorantiſſimis ignoro. Gobelinus, qui hanc ipſam orationem exhibet, lectionem praecedentis orationis ſequitur. Num forte Pius cum verba faceret ad Romanos concionem habuit, ut eſt hic; cum vero illam in Commentarios ſub Gobelini nomine editos referendam ſuſcepit, ſecundis recenſitam curis ita edidit, ut hic ſuperius recitatur.*

ORA-

ORATIO VII.

AD QUIRITES.

Pro bene recta Roma, Pio absente.

Fatemur ingentes vobis deberi laudes, qui nobis absentibus reipublicae causa, lasciviente magna parte juventutis vestrae, & quietem urbis multifariam perturbante, baronibus insuper undique magnas res molientibus, nec valentibus magistratibus & judicibus nostris temerarios ausus compescere, in officio tamen perseverastis, & nobis redeuntibus integram urbem reddidistis. Fideles fuistis ac prudentes; fideles, quia non audivistis eos, qui vos alienare a vero Domino conati sunt; prudentes quia vobis ipsis bene consuluistis. Nam quae utilitas major potest esse vobis, quam curiam Romanam alere, quae vos alit, & toto ex orbe Christiano ad vos defert? quae gloria excellentior contingere vobis potest quam subesse domino qui B. Petri successor est, & Jesu Christi Vicarius, cujus osculari pedes cuncti reges desiderant, cui divinitus datum est coeli portas vel aperire vel claudere? Laudamus ergo & fidelitatem & circumspectionem vestram & in utraque re constantiam.

Verum quia nobis relatum est, nonnullos esse qui vestras aures perniciosis & falsis rumoribus implere student, nos *accusatores* (a) belli accusantes, qui cum pacem habere possimus, arma movere magis cupimus, & in regno Siciliae injustam causam fovemus, unde nunc bellum domi & circa moenia urbis excitatum est. Necessarium duximus vos in concionem accersiri, ac de his rebus ad verum disserere, & ut intelligatis omnes, quoniam bellum semper odivimus pacis cupidi & otii, & justissima nobis bellandi, & necessaria, non voluntaria data est cau-

(a) f. *auctores*

causa. Nec nos somnia referemus, & nugas inanes, quibus delectantur & nutriuntur aemuli nostri; sed ipsam nudam & sinceram veritatem prosequemur, cujus vis hespero splendidior est, & semper in fine victrix est. Deus novit corda hominum solus, & ipse rationes nostras scrutatur & scit, & scit quia non mentimur. Nihil nobis pace charius est, cujus nomen dulce est, & ipsa res tum jucunda, tum salutaris. In ea bene servitur Deo, & subditorum status floret, paretur legibus, & nulli fas est impune peccare. Contra, bellum mala omnia nutriens, divina & humana confundit. Non sumus nec illi qui sanguinem sitiamus hominum, nec nostrae sedis est ferrum stringere, aut discordias serere: quietem noster animus & subditorum concordiam semper optavit. Sed quomodo in bellum tracti simus audite, breviter rem absolvemus, & an justam causam habeamus manifestissime cognoscetis. Cum occupasset Mahumetes Turcorum princeps regiam urbem Constantinopolim, & victoria tumens non Graecis tantum, sed Hungaris, Italis & reliquis Christi cultoribus extrema omnia minaretur; Italia vero gravibus inter se odiis contenderet, & sese armis laniaret; dedit operam Nicolaus pontifex antecessor noster, ut convenientes Italici potentatus, lites deponerent, & ut Turcis commodius resisti posset non solum pacem inter se statuerent, sed foedus quoque percuterent, quo alter alteri subvenirent; si quis in foedere comprehensus a quovis offenderetur. Hujus foederis caput & conservator institutus est Romanus praesul. Vivebat tunc Alfonsus Aragonum & Siciliae rex, fama clarus, qui post Romanorum praesulem primus in eo foedere nominatus est, & pro se ac filio suo Ferdinando futuro rege intervenit & ita receptus est. Hoc foedus ut fieret Nicolaus suasit, & Callixtus successor ejus approbavit. Et nos quoque de consilio fratrum mox ad apicem summi apostolatus assumpti illi benediximus. At cum obiisset Alfonsus Callixto vivo, filiusque, regnum devolutum ad ecclesiam declaravit, statuens illud etiam armis vendicare. Sed obiit etiam ipse intra quadragesimum diem. Nos suffecti ecclesiam turbatam & undique laceratam in-

venimus. Assisium, Gualdum, Nuceriam Picininus per proditionem occupaverat. Arces ecclesiae munitissimas qui pro Borsio Callixti nepote obtinuerant restituere recusabant. Ferdinandus investituram regni petebat; nisi obtineret cum Picininus illi militaret, & nos milite careremus, videbamus non parvum discrimen impendere. Deduximus rem ad apostolicum senatum & cum venerabilibus fratribus nostris negotium discussimus. Placuit omnibus, nullo dissentiente, Ferdinandum investitum iri, quamvis & Renatus idem peteret. Misimus cardinalem Ursinum qui eum investivit & coronavit; sed nihilominus jus suum, si quod haberet, Renato illaesum servavimus. Erat tunc Ferdinandus regni possessor, universitas regni eum petebat, potentatus Italiae omnes pro eo supplicabant. Pater eum instituerat in eo regno, Eugenius & Nicolaus Alfonsum de regno illo investierant, & ut a patre rex institui posset indulserant. Si vero ad ecclesiam devolutum erat regnum, ut Callixtus censuerat, sive ad filium pertinebat ex testamento paterno & aliorum decreto pontificum, licuit nobis facere quod fecimus, non est cur aliquis querimoniam juste faciat, & maxime cum juris viam Renato apertam reliquerimus. Nam & Romae, & Senis, & Mantuae semper oratoribus ejus justitiam obtulimus. Sed ipse plus in armis quam in jure confidens, cum essemus Mantuae & operam daremus ut Christiani principes expeditionem contra Turcos pararent, & Christianam fidem ac religionem defenderent, classem validam in regnum misit cum filio suo duce Joanne. Principes & barones regni ad res novas concitavit, pacem illarum partium turbavit, rapinis, incendiis, caedibus omnia foedavit, & nobis in conventu Mantuano publicam Christianorum salutem quaerentibus maxima praestitit impedimenta. Nam inde factum est, ut res fidei pro dato ordine expediri nequierit; quamvis adhuc speramus in Domino, quia non peribunt labores nostri pro communi salute suscepti. Ferdinandus cum se in periculo cerneret, deficientibus a fide fudditis & armis hostium dietim invalescentibus, auxilium a nobis petiit, penes quos est directum regni dominium; comme-

memoravitque foedus, de quo supra diximus; rogavit ne sibi pereunti deficeremus, ne promissam posthaberemus fidem. Nos bono animo esse jussimus, quia non deficeremus ei. Sed priusquam copias nostras in regnum mitteremus venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Ravennatem eo direximus, qui utrinque juberet arma deponere, & viam pacis aut amicabili tractatu aut juris ordine quaereret. Is cum transeundi publicam fidem a duce Joanne peteret, non obtinuit; respondit etiam ille se non habere mandatum a patre tractandae pacis. Interea Ferdinandus armis praemebatur, & prope erat ut expelleretur, tanta erat baronum nonnullorum perfidia atque iniquitas. Nobis, qui Ferdinandum regem constitueramus, haud decorum erat illum vi atque armis, sine legibus, sine judiciis, sine ulla juris via paterno regno deturbari. Misimus itaque auxilia, non quae Renatum regno privarent, sed quae Ferdinandum in sua possessione tenerent: & hoc quidem nobis non solum ex foedere incumbebat, verum etiam ex eo quia regni domini & directores sumus, & ad nos pertinet, quantum ex alto datur, violentiam omnem a nostris subditis prohibere. Quod si nostris auxiliis non bene successit; nihil tamen magis de justitia nostra dubitamus, neque semper justa secundum homines causa superior est, unde illud Lucani: *Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni*. Christianorum & saepe Judaeorum victae sunt acies pro religione pugnantes. Fatemur omnem a Deo victoriam esse; sed aliam dispositione concedi, aliam permissione. Nec nos arcana Dei attigimus, cujus judicia abyssus multa; sed secundum quod homines judicant judicium facimus. Certe nemo est qui secundum leges & justitiam causam nostram judicare possit. Quod si aliquando partes nostrae victae sunt, ita placuit Deo, non propter justitiam hostium quae summa est injustitia, sed propter peccata nostra. *Castigavit nos*, inquit propheta, *sed morti non tradidit nos, multae tribulationes justorum; sed de omnibus his liberabit eos Dominus*. Quomodo justus potest esse dux Joannes, qui habita justitiae oblatione ab eo qui est judex & Dominus regni, incon-

ſulto ipſo domino; & contradicente, prorumpit ad arma, & violentiae viam aggreditur? Intelligitis plane omnes, arbitramur, quoniam juvantes Ferdinandum ne via facti opprimatur, juſtam fovemus cauſam; nec duci Joanni ulla de nobis querela eſſe poteſt.

Sed audite ulterius ſi nos de ipſo juſtam habemus querelam vel de ſuo genitore. Praeterimus quod ſcripta multa contra nos & legationes miſerit ad nationes & populos noſtram innocentiam accuſans. Tacemus illud quod paulo ante attigimus, quod conventui Mantuano & fidei diſſenſioni multa impedimenta praeſtiterit; tacemus quod Jacobum Picininum ad ſua ſtipendia conduxerit, qui vexilla eccleſiae ſine noſtro juſſu deferre auſus eſt; tacemus alia multa ut breviores ſimus. Illud ſilere non poſſumus.

Significavit nobis nuper Jacobus Picininus, ſe omnino eſſe ducis Joannis, & ab eo in mandatis habere non Urſinos ſolum, ſed omnes eccleſiae ſubditos & nos & urbem invadere; ſeque hactenus multo minora feciſſe quam juſſus erat, obtemperareque ſibi neceſſarium eſſe. Nos vero compertum habemus, non ſolum ex his qui deprehenſi ſunt, verum ex literis & ſigillis illorum qui conſpirationibus interfuerunt, comitem Jacobum conveniſſe cum aliquibus ſubditis noſtris, & cum juventute illa, cujus ſupra meminimus, territorium urbis invadere, Tybur diripere, Romam ingredi, aperientibus portas his qui ſocii vocantur ex juventute praedicta; domus curialium, mercatorum & opulentorum civium praedae exponere, & alia multa nefanda committere; quae omnia proculdubio patrata fuiſſent, niſi noſter exercitus ex Aprucio feſtinaſſet, obviamque currenti Jacobo advolaſſet, nos celeri paſſu repetiiſſemus urbem. Deo referimus gratias, quod tam nefarii auſus praeventi ſunt, & quod vos noſque tanto diſcrimine liberati ſumus. Quomodo igitur juſtus dux Joannes, qui talia contra nos molitur? Si rex regni eſt, aut haeres futurus regis, ſubditus noſter eſt; & quid magis impium eſt quam dominorum fallere dextras? Si non eſt illi de regno expectatio; Chriſtianus tamen eſt, ut credimus. Quomodo Chriſti

ſti vicarium perſequi audet, & miniſtro utitur Picinino, qui omnes ſubditos noſtros pertentat, ſi quis ſit in urbibus eccleſiae qui vel prece, vel pretio fidem habeat venalem? De Jacobo nihil ſatis dici poteſt. Decebat Peruſii natum, eccleſiae ſubditum, nulli ſe obligare contra eccleſiam; ſed quae fides jam in armis eſt? ipſe ſua facta viderit. De duce non poſſumus (*b*) mirari, qui regio ſanguine natus ea moliatur quae diximus. (*b*) f. *non ſatis*

Sed ajunt quidam & in vulgo hae verba diſſeminant, nec ducem Joannem, nec Picininum contra nos veniſſe; Urſinis tantum inimicari nocereque. Nos quae comperimus expoſuimus; illa ſunt veriſſima, haec falſa; nec unquam auditum quod nobis promiſſa (*c*) ſecuritas, ut plerique garriunt. Sed eſto Urſinos tantum invadere voluit: an non Urſini ſubditi eccleſiae ſunt? an (*d*) qui eos laedit, nos laedit? Nobis & de Columnenſibus, de Comitibus, de Sabellis & de Urſinis cura eſſe debet, dum fideliter agent, & qui contra eos militat, contra nos militat, juſtiſſimaque ſunt arma noſtra in illos. Sed quoniam de Sabellis mentionem fecimus, ſcitote Jacobum Sabellum unum eſſe ex his qui cum Picinino convenerant ad ea quae ſupra diximus, & qui illum in terras noſtras vocavere. Rogavimus ut deſiſteret, daturi veniam de praeterito; noluit; copias Picinini hoſtis noſtri in oppidis ſuis retinet. Juſtiſſime ergo eum corrigimus, parſuri ſemper & boni patris officio uſuri, ubi ad obedientiam redierit. Non ſumus ergo belli amantes, nec voluntarie arma tractamus, ſed coacti, ſed pro pace habenda, pro focis, pro aris, pro uxoribus, pro liberis veſtris bellum gerimus. Nec nos primi ſumus, qui pro regno Siciliae, quod eſt eccleſiae, decertamus; ſcitis Martini & Eugenii, & ante illos Clementis, Bonifacii, & Nicolai, & multi priores ante illos quid egerint, & quanta expoſuerint ut his obtinerent, quos ipſi inveſtiverant. Faceſſant hi rumores contra nos. Sileant qui nobis detrahunt. Nolite vos aures his adhibere, qui nos carpunt. Namque ſi unquam pontifex fuit qui otia diligeret & hujus urbis quietem, nos illi ſumus, qui urbem tanquam patriam amamus, & vos omnes, non ſolum uti filios pro dignitate ſedis, ſed

(*c*) *ſit*

(*d*) *non*

(e) f. ex ut fratres habemus; (e) *qui* noſtri generis origine [nam Picolominea domus, unde nobis origo eſt, ex hac urbe Senas venit, quod AEneae nomen in familia noſtra uſurpatiſſimum indicat]. Amamus ergo hanc civitatem, in qua ſummum apoſtolatus apicem ſumus adepti, & unde ortum habemus; & inter vos tanquam inter filios fratreſque cupide verſamur, nec vellemus vos implicare bellis; ſed potius quiete donare & opibus cumulare. Verum ubi juſtitia & neceſſitas urget, non ſolum bellare, ſed vitam ponere parati ſumus, ut ne vel dignitas ſedis, vel hujus urbis gloria pereat.

NO-

NOTAE

In Orationem ad Quirites.

1. BOrgius Callixti nepos. *Callixtus ex illustri Borgiarum familia duos ex duplici sorore nepotes habuit, Joannem Ludovicum, & Rodericum, (qui postremus Pontificatum summum adeptus, Alexander VI: appellatus est) quos in familiam Borgiam adlegit & Cardinales renunciavit. Roderico frater alter erat Petrus, & ipse in familiam Borgiam assumptus, cui praefecturam, de qua hic Pius, commissam credo; pessime tamen illam administrasse monet Spondanus A.* 1457. 13.
2. Convenisse cum Tyburtio. *Pii Pontificis ab urbe Roma absentia, & motus quidam armorum a Renato in ditione pontificia excitatus, querelas in eumdem Pontificem excivit; ex querelis suggestum sceleratis nonnullis consilium subvertendi statum Reipublicae. Conjurationi huic principes Tyburtius & Valerianus frater se praebuerunt. Hi enim arcanis molitionibus cum Jacobo Picinino, Sabelliis, aliisque conspirantes eripere Ecclesiasticis imperium tentarant. Verum brevi extinctum incendium est; nam proditione suorum detecti captique in manus Pontificis inciderunt, meritasque poenas supplicio dederunt. Vide Gobelin. lib.* 5. *pag.* 118.
3. Nos & Ursinorum & Columnarum & Comitum & Sabellorum, &c. *Principes Romanae urbis familiae in contraria abjerunt studia; Columnenses enim & Sabelli conjuratorum consiliis sese immiscuerant; Ursini in fide Pontificis permanserunt. Vide Gobelin. lib.* 4. *pag.* 114.

IN ORATIONEM

De Canonizatione B. Catharinae

Argumentum.

SEnarum urbem patriam suam carissimam decorare meditans Pius illustri aliquo monumento, dignissimum, se largitore munus reputavit, si Beatam Catharinam, civem ejusdem urbis inclitam, in Sanctarum Virginum album referret. Ne vero temere opus tanti momenti confecisse videretur, convocato episcoporum, qui tunc forte in Urbe aderant, consilio, in medio rem consultandam proposuit, qua mature discussa, omnium Patrum sententia dignissima judicata est Catharina, quae fidelium publico cultui & imitationi proponeretur. Stata igitur die in publica populi celebritate Pontifex solemni ritu civem illam suam consecraturus oratione hac laudandam assumpsit, quae dignissima est tanto argumento, tantoque laudatore non impar. Acta sunt haec anno 1461. III. Kal. Julii.

ORA-

ORATIO

Habita in Canonizatione Beatae Catherinae Senensis.

CAtherinam Senensem in catalogum hodie Sanctarum Virginum relaturi dignum existimamus, venerabiles fratres, ac filii dilectissimi, quid sibi velit sanctitatis vocabulum, cur sanctorum canonizatio sit introducta, & an virgo ipsa hujus honoris digna sit, paucis aperire, ut his satisfiat, qui haec suspensis animis expectant, quales non paucos adesse arbitramur. De sanctitatis significatione primum dicemus. *Ex Lucensi Codice.*

Sanctum idem esse quod sacrum & religiosum Trebatius jureconsultus diffinit, cui & sacra eloquia abunde consonant. Nam quod est in Esdra. *Vos sancti estis Deo, & vasa sancta.* Et in libris Regum: *Non habeo panes laicos ad manum, sed panem tantum sanctum.* Et in Psalmis: *Extollite manus vestras in sancta*; ad sacrum religiosum refertur; & ad hunc intellectum poeta loquutus est. *Tu quoque o sanctissima vatis*; sacram enim Sybillam vocat. In quo sensu nulli dubium est, quin Romani Pontifices & Episcopi reliqui sanctificare homines vel res alias possint. Qui Sacerdotes idcirco dicuntur, quia sacra dant, resque sanctificant, ut illud Exodi: *Facies vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.* Secundo modo sanctum dicimus quod neque corrumpi, neque violari debet; quemadmodum sanctas leges & sanctos appellamus legatos: *Sanctum populis per saecula nomen.* Leges autem edere & legatos constituere, non solum pontifices, sed reges & populi consueverunt. Tertio modo pressius & honorificentius hoc nomen accipimus sanctum, quod mundum purumque sit, quod beatum, quod immutabile, & aliquo modo ad di-

gnitatem videtur accedere, ficut in Levitico legimus: *Estote sancti, quia ego sanctus sum*. Et in Sapientia: *Sanctis tuis maxima erat lux*. Et in Proverb. *Novi scientiam Sanctorum*. Et illud: *Non dabis Sanctis tuis videre corruptionem*. Et apud Maronem: *Tuque, o Sanctissima conjux, felix morte tua*. Et iterum: *Sancta ad vos anima & istius inscia culpae descendam*. Et Ennii, teste Cicerone, jure suo sanctos appellat poetas tamquam divino quodam spiritu grandia canant. In hisce sensibus fatemur neque nostrum esse, neque mortalis cujuspiam sanctificare quempiam. Est enim homo sui arbitrii; neque invitus quisquam bonus est aut sanctus. Cum tamen sancti canonizantur, sanctitatis vocabulum ad beatitudinem refertur, & immutabilitatem, & quamdam quodammodo divinitatem, quas res nemo praestare potest nisi solus Deus. Mortalis autem immortalem, aut miser felicem, aut homo Deum efficere quis potest? Sua quemque innocentia & sua virtus beat, non tamen absque adjutorio Dei, in cujus gratia morientes humanae opis non egent, dicente Scriptura: *Beati mortui qui in Domino moriuntur*. Et: *Non derelinquet Dominus Sanctos suos*. Quod si humana opera esset opus ad beatitudinem consequendam, multi suo stipendio privarentur, cum fallax sit mortale judicium. At Deus omnia videns, omnia intelligens, summa justitia praeditus, pius & misericors nullum patitur suo praemio fraudari. Mirabilis Deus in sanctis suis, quos ab initio rerum elegit, & scripsit in libro vitae; quando vult & ubi vult, ad se vocat, perfectaque illos beatitudine impartitur, nec nostro indiget ministerio; nec sanctorum felicitas nostra laude crescit, aut vituperio minuitur: absque ullo metu summo & incommutabili bono fruuntur. Gloria haec est omnibus sanctis ejus. Quicquid illis a nobis praestatur, nostra causa praestatur. Namque cum pii & religiosi sumus, cum Deum cultu latriae & sanctos ejus cultu duliae veneramur, peccata nostra redimimus. Cumque propter iniquitates nostras summi Dei pulsare aures saepenumero vereamur, ad sanctos ipsos recurrimus, qui nostris infirmitatibus intercedendo subveniant. Sed cavendum fuit ne dum patrocinium quaerimus, offensionem incur-

incurramus, eis intercessoribus utentes quos Deus oderit. Irritatur enim divinitas, non placatur, cum propitiator minus idoneus adhibetur. Quibus ex rebus providè statuit antiquitas, eos tantummodo sanctos a Christifidelibus colendos esse decernens, qui magno & alto sanctae Sedis Apostolicae judicio probari receptique essent. Similis cautio apud Gentiles fuit, qui etsi caeci erant, verae lucis cognitione privati, non tamen apud eos sibi quisque Deos colendos assumpsit, sed cultus ex auctoritate majoris pependit. Et apud Romanos quidem in potestate Senatus hoc fuit dercenere; scribit enim Tertullianus, Tiberium Caesarem cum per literas Pilati de Christi miraculis fuisset eductus, voluisse illi divinos honores decernere; Senatumque non aliam ob causam adversarum, nisi quia sibi non fuisset scriptum. Sed noluit verus Deus diis falsis annumerari, neque cum pluribus coli, quia unus est & ipse zelotes. Senatus autem, qui Christum respuit, Simonem magum amplexus est, eique statuam decrevit, tamquam Deus esset. Multos illi Deos colebant; sed unum omnium regem putabant Jovem, non illum Cretensem Saturni filium, sed numen quoddam aeternum & incomprehensibile. Quod si rite gentilitatem interpretemur, perinde apud eos facti ex hominibus Dii habebantur, ac illi quos nos appellamus sanctos. Siquidem sacri codices nunc Angelos, nunc homines Deos vocant, ut est illud. *Deus stetit in medio Deorum, in medio autem Deos dijudicat*. Et iterum: *Vos Dii estis, & filii excelsi omnes*.

Quod si apud caecam gentilitatem nefas fuit Deos sibi quemque pro sua volunrate deligere, ne falsa illorum religio confunderetur; quanto id magis de sanctis inter Christianos debet, esse prohibitum? quos nihil absque ordine facere debet? Scimus quia magister noster Christus est Dei Filius & sapientia Patris ab aeterno ordinata. Nec illud ignoramus Pauli, qui omnia ordinata esse dicit, quae sunt a Deo. Quod si Ecclesia Dei opus est, ut est profecto; extra Ecclesiam omnes agunt qui ordinem intervertunt, quales sunt qui Romano Pontifici non obediunt; & cum debeant esse membra, ea sibi

arrogant quae sunt capitis; Ecclesiam quippe super Apostolica petra Christus fundavit & ordinavit. Ubi ordo, ibi caput & membra; & illud imperat, ista parent. Est enim Ecclesia sicut castrorum acies ordinata, & verus Christi exercitus, in quo ducis imperio cuncta per ordinem geruntur; qua regnum Dei patet ibi ordo est & concordia. In inferno autem nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, qui Luciferi sedes est, & omnium carcer qui Romanae Ecclesiae adversantur. Nostri verò antecessores idonei dispensatores ministeriorum Dei omnia secundum ordinem statuerunt. Sic cum animadverterent defunctorum memoriae modo imagines, modo statuas, modo etiam fana dicari & sacra peragi, veriti ne plebes deciperentur, aut daemonibus aut damnatis litantes, eos tantum pro sanctis colendos esse mandavere, quos Romana primaque sedes recepisset. Quae non levi rumore aut opinione vana, sed maturo consilio & longa digestione sanctorum canonizationes admittit, nec sanctum, aut beatum, aut immortalem factum, ac beatitate donatum esse declarat.

Neque hodie demum beata virgo Catherina coelum ingreditur; sed tum primum ingressa est, cum ex hac luce migravit. Neque Salvator Dominus in ultima tantum judicii magni die auditur dicens: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum*; sed quotidie vox ejus apud bene pieque morientes auditur: *Sancti mei qui in carne positi certamen habuistis, mercedem laboris ego reddam vobis*. Quod beatae Catherinae nemo dictum negaverit, cum carnis ergastulum relinquens: *In manus tuas*, inquit, *Domine commendo spiritum meum*. Nec nos in praesentiarum virginem ipsam sanctificaturi sumus, sed sanctam esse & publice colendam declaraturi. De cujus meritis pauca nunc attingenda recepimus; quoniam superioribus diebus de vita & miraculis ejus & multa & magna audivistis. Verum taceri prorsus ejus praeconia in hac solennitate non convenit, in qua sua canonizatio celebratur. Libet igitur pauca in medium adducere, quae, ut opinamur, non inviti audietis.

Virgo haec parentibus nata bonis, melior ipsa emersit;

sit; prius Deo se dedicans quam Deum posset per aetatem cognoscere. Virguncula sex annorum ut Domino serviret, eremum concupivit, Angelicam salutationem edocta quoties paternam domum ascendit per singulos gradus flexo geniculo beatissimam Virginem matrem Domini salutavit; & anno major virginitatem suam consecravit Christo, quem sua in majestate sedentem manifestissima visione contemplata est, & arcana coelestis aulae vidit, quae non posset effari lingua mortalis. Mundanas delicias a se omnes abdicavit, orationi totam se dedit, corpusculum suum jejuniis, vigiliis ac verberibus afflixit. Coaequales puellas, ut idem facerent, & docuit & persuasit. Pubes effecta sectis crinibus mortale conjugium recusavit, convitia & maledicta hominum sprevit. Beati Dominici habitum, quem vocant de poenitentia, extorsit potius quam impetravit. Ancillare officium in paterna domo exercuit, pauperibus Christi larga manu subvenit, aegrotantibus summa diligentia ministravit, diabolicas tentationes & assiduas malignantium spirituum pugnas patientiae clypeo & fidei galea superavit. Incarceratos & oppressos, quibus valuit, modis consolata est. Nullum ab ea verbum non religiosum, non sanctum excidit, omnis sermo ejus de moribus fuit, de bonarum artium studiis, de religione, de pietate, de contemptu mundi, de Dei amore & proximi, de coelesti patria. Nemo ad eam accessit qui non doctior meliorque abierit. Doctrina ejus infusa fuit non acquisita, potius magistra visa est quam discipula; quippe quae sacrarum literarum professoribus, ipsisque magnarum Ecclesiarum Episcopis difficillimas de divinitate quaestiones per arrogantiam proponentibus prudentissime respondit, & adeo satisfecit, ut agnos mansuetos remiserit, quos tanquam lupos ac leones acceperit, quorum nonnulli divinam in virgine sapientiam admirati, distributis mox inter Christi pauperes quae possidebant bonis, & accepta Domini cruce vitam deinde evangelicam egerint. Quid de vitae austeritate summaque abstinentia dicemus? Miramur Moysen & Eliam qui XL. dierum jejunia tolerarunt, haec virgo a die Cineris usque a Pentecostem jejunia produxit,

sola

sola eucharistiae communione contenta. Miramur Antoniorum, Paulorum, Machariorum, & Hilariorum abstinentiam, qui solis aut oleribus, aut leguminibus victitarunt? Hujus Virginis tenuior cibus extitit, quae per annos ferme octo minimo herbarum succo, eoque parum retento sustentata est. Miramur Bragmanos Indiae gymnosophistas, quos ferunt frigus & aestum pertulisse nudos? majora haec virgo sub veste perpessa est, quae strato jacens duro, dies ac noctes ducebat insomnes, nec vigesimam partem sui temporis quieti dabat. Spinosis cordulis carnem suam macerabat, dolore capitis pene assiduo torquebatur, aestuabat febribus, nec iliorum cruciatu carebat, luctabatur cum Daemonibus, multisque illorum molestiis vexabatur.

Nec tamen in tantis laboribus deficiebat, nec charitatis opera negligebat. Adsidebat miseris indigna ferentibus, peccatores arguebat & ad poenitentiam revocabat; dissidentes componebat, praecepta salutis omnibus laeta dabat. Pro pace Florentinorum usque in Avenionem profecta est. Ipsique gratias habere Italos decet, per cujus operam Romana curia ad eos rediit. Audite Romani, audite omnes res memorandas sacris annalibus, atque recenti digna historia: annos quatuor & septuaginta Romana curia trans alpes peregrinata fuerat. Apostolica sedes per multas deducta manus, tandem ad Gregorium XI sanctitatis opinione celebrem pervenerat. Is cum Episcopum quemdam redargueret, quod procul ab Ecclesia & sponsa sua vitam ageret, hoc responsum habuit. Cur tu, Pater sancte, qui me arguis, apud Ecclesiam tuam non trahis moram, sed multo quam ego meam, tu tuam sponsam a te procul absentem contemnis? Tactus hoc responso veluti monitu divino pontifex, penitiorem palatii partem ingressus, solus Deo vovit, quamprimum posset, Romam petere, neque hoc mortali cuipiam revelavit; sed cum navaret ad recessum operas, & Rex Franciae, multique Galliarum principes, ejus propositum impedire, nunc precibus, nunc minis aniterentur, dubius quid ageret, hanc virginem ad se accersitam consuluit, an Romam accedere deberet. Cui virgo:

virgo: *Quid me*, inquit, *Pontifex, vilem femellam interrogas?* Tute scis quae Deo promiseris; servato quae vovisti. Attonitus his dictis praesul, omni haesitatione rejecta itineri se commisit, & navigio in Italiam vectus Romam petiit. Fuit enim in hac virgine spiritus prophetiae, multa praedixit antequam fierent, & cum hoc Gregorii votum tum alia multa occultissima revelavit. Rapiebatur a spiritu extra se in aere suspensa; frequenter visione divina fruebatur, languores multos curavit, febribus caeterisque morbis in Christi nomine imperans, propter quas res duobus Romanis pontificibus, Gregorio, cujus supra meminimus, & Urbano sexto acceptissima fuit, itaut eorum legationibus fungeretur, multisque & magnis spiritualibus gratiis ab eis donaretur.

O igitur gloriosa & beatissima virgo, quae tantum decus patrum nostrorum memoriae tradidisti, atque urbem Senam tantopere exornasti. Gaudemus sane, fratres, & gloriamur patriae nostrae secundum carnem tantum splendorem esse concessum, ut nostra aetate cives duo Senenses in coelesti Hierusalem ascriberentur. Rara laus & nostris alias inaudita temporibus, Bernardinum, nobili loco apud Senenses natum, Nicolaus V. praedecessor noster Pontifex maximus, in catalogo Sanctorum Christi confessorum annumeravit, cujus excellentissimas virtutes & admiranda opera non solum audivistis ab aliis, sed ipsi vidistis, qui vestro sub aevo clarens, doctrina sua mundum implevit. Catherinam, ejusdem urbis alumnam, ipsi modo inter acceptas Deo virgines & Coelo donatas relaturi sumus. Cujus ante annos octuaginta defunctae tam clara & illustris fama est, ac si heri aut nudiustertius decessisset. Neque enim ingentia facta facile obscurantur. Loquuntur Catherinam, ejusque signa & prodigia mirantur, & celebrant non Senenses modo, apud quos nata & adulta est, aut Romani apud quos obiit, sed Florentini, Pisani, Lucenses, Genuenses & ipsi transalpes Avenionenses, inter quos aliquandiu summa cum laude versata est. Veneti quoque huic virgini testimonium perhibent, miro virtutum suarum odore afflati. Ad Germanos insuper & Hungaros flagrantia sancti-

ctitatis ejus pervenit. Si quidem Rex Hungariae, dux Austriae & Pataviensis Episcopus canonizationem ipsius a nostris antecessoribus per nuntios & epistolas petierunt. Idemque pari modo a nobis efflagitavit charissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum Imperator Augustus. Non est igitur, venerabiles fratres, cur dubitemus hanc prudentissimam virginem apud militantem Ecclesiam sua dignitate donare, quae jampridem coronata est apud triumphantem. Conveniunt omnia quae tanto in opere desiderari solent. Adest vita purissima, nullius conscia culpae. Adest integerrima fides, adest flagrantissima charitas, adest signorum & miraculorum supra naturam virtus, sicut perpulchre recitavit Advocatus; adest fama celebris, adsunt preces principum & rogamina populorum. Adhibita est omnis solemnitas, quae in tanto negotio requiritur. Audacter igitur canonizationem ejus absolvere possumus. Solus Deus est, qui falli non potest; quapropter oratos vos omnes, qui adestis, facimus, ut una nobiscum Spiritus Sancti misericordiam, & assistentiam imploretis, neque nos in hoc negotio sinat aberrare, sed ea nobis inspiret, quae suae sint beneplacita voluntati, & fidelium utilitati conducant.

IN

IN ORATIONEM

Ad caput S. Andreae.

Argumentum.

Thomas Paleologus Constantini, postremi Graecorum qui CPli imperarint, frater & Moreae Despota, de Turcarum fide parum sibi sperandum intelligens, fugam in Italiam adornavit, secumque vexit S. Andreae Apostoli caput, ne, quod proxime imminere intelligebat, profanis manibus impiorum res adeo sacra violaretur. Invitatus verò a Pontifice Romam, simulque rogatus ne aliis concederet pretiosum illum religionis thesaurum, utrique postulationi acquievit; quare depositis Anconae ex condicto sacris Lipsanis, ipse se contulit in urbem. Continuo igitur Pontifex per delectum a se Cardinalem transvehi sacrum caput Narniam, arcisque praefecto custodiendum tradi jussit. Ex hac urbe, curante pontifice, ingenti pompa & religione, a Cardinalibus tribus eo destinatis, Romam delatum est. In hac solemni sacri verticis receptione haec oratio perorata a Pio est, qua & Apostolo adgratulatur, quod cum germano suo Petro communes tandem sedes & cultum obtinuisset; adgratulatus est & Romanis de honore tanti hospitis recepti; sibi vero applaudit quod hoc repenso beneficio, quae sibi ex ea urbe obvenerant, bona abunde compensarit. Hanc ipsam orationem integram recitat Gobelinus lib. 8. hic vero ex Lucensi codice datur, additis ex Gobelino variantibus.

ORATIO

Ad venerandum caput Divi Andreae Apostoli.

E Lucensi Col. Extat. apud Gobelin. lib. 8. ex quo hic dantur variantes. Anno 1462.

ADvenisti tandem sacratissimum & honoratissimum Sancti Apostoli caput. Turcorum tua te sede furor expulit. Ad fratrem tuum Apostolorum Principem confugisti exulans. Non deerit germanus tuus tibi; restitueris in tuo solio cum gloria volente Domino, licebitque aliquando dicere: O felix exilium quod tale repetit auxilium. Interea temporis cum tuo germano aliquandiu moraberis, & honore pari cum eo potieris. Haec est alma Roma, quam prope cernis, pretioso tui germani sanguine *delicata*. Hanc plebem, quae circumstat, B. Petrus Apostolus, frater tuus pientissimus, & cum eo vas electionis S. Paulus Christo Domino regeneravit. Nepotes tui ex fratre Romani omnes te veluti patruum, patremque suum venerantur, colunt, observant, & tuo se uti patrocinio in conspectu magni Dei non dubitant. O beatissime Apostole Andrea praedicator veritatis, & assertor Trinitatis eximiae, quanto nos hodie gaudio reples, dum verticem hunc tuum sacrum & venerandum coram aspicimus, qui dignus fuit, in quo visibiliter sub specie ignis in die Pentecostes Sanctus resideret Paraclytus. O vos qui Hierosolymam petitis ob reverentiam Salvatoris, visuri locum ubi steterunt pedes ejus; ecce sedem Spiritus Sancti, ecce divinitatis solium; hic hic consedit Spiritus Domini, hic tertia in Trinitate persona visa est; hi oculi fuerunt qui saepe in carne Dominum viderunt; hoc os saepe Christum est alloquutum; has genas non est dubium quin saepe Jesus fuerit osculatus. En magnum sacrarium, en caritas, en pietas, en animae dulcedo &

Gob. decorata

con-

consolatio spiritus. Et quis est cujus viscera non commoveantur? cujus non ardeant viscera cordis: cui non excidant prae laetitia lacrymae in conspectu tam pretiosarum Apostoli reliquiarum? Gaudemus, exultamus, jubilamus in adventu tuo divinissime Apostole Andrea. Neque enim dubium est quin tui capitis comes adsis, & cum eo ingrediaris urbem.

Odimus Turcos Christianae religionis hostes; in hoc non odimus quod tui adventus causa fuerunt. Nam quid nobis optatius contingere potuit, quam tuum hoc honoratissimum intueri caput, & ejus fragrantissimo perfundi odore? Id molestum est, quod adventanti tibi non eos honores impendimus quos mereris, nec te possumus pro tua excellenti sanctimonia digne suscipere. Sed accipe voluntatem nostram, *& mentem metire non factum*; atque aequo animo patere quod pollutis manibus tua contrectamus ossa; & te peccatores intra moenia comitamur urbis. Ingredere sanctam civitatem & esto propitius Romano populo. Sit omnibus christianis salutaris tuus adventus. Sit pacificus ingressus tuus. Sit felix faustaque tua nobiscum mora. Esto noster advocatus in Coelo, & una cum beatis Apostolis Petro & Paulo conserva hanc urbem & universo populo christiano pie consule; ut vestris patrociniis fiat misericordia Dei super nos; & si qua est ejus indignatio propter peccata nostra, quae multa sunt, transeat ad impios Turcos & ad nationes barbaras, quae Christum Dominum contempserunt.

Deest

AD RESPONSUM

Oratori Venetiarum ut Sigismundo Malatestae veniam daret

Argumentum.

Sigismundus Malatesta, Ariminensis & Caesenae regulus, ac S. R. E. feudatarius, ad caetera, quibus se prostituerat, flagitia, adjecit & apertam adversus legitimum dominum suum Romanum Pontificem perduellionem: Nec tantum adhaesisse Andegavensibus, quibus Pius adversabatur, contentus, ipse per se arma tulit ecclesiasticae ditioni infesta. Quam hominis perfidiam coercendam vi intelligens Pontifex, copias, quamvis desuaderent multi, in illum armavit. Potentissimum hostem sustinere se haud posse tandem expertus Sigismundus, Venetum Senatum supplex adiit, rogans, ut sibi seu pacem, seu veniam a Pontifice impetraret. Legatus ea de re a Venetis missus Bernardus Justinianus, Leonardi oratoris clarissimi filius, qui ut in conspectum venit splendida oratione Pium ad eam veniam indulgendam allicere tentavit. Roganti hac oratione satisfacit Pontifex, demonstrans sibi, Veneti Senatus potissimum exemplo, probe persuaderi, stare non posse rempublicam, nisi flagitia subditorum severe puniantur, quo servato justitiae rigore stare imperia, non servato ruere. Tum Malatestae flagitiis aliquanto latius explicatis, simulque expensa sua & praecedentium Pontificum tolerantia, ut resipiscendi tempus darent peccanti, se non diutius laturum dixit, ut ab impio Principe religio, justitia, & jura omnia divina atque humana pessundarentur. Quamquam vero inflexibilem se tunc pontifex exhibuit; biennio tamen post, anno scilicet 1463. exorari se permisit, supplicique Malatestae veniam concessit ea conditione, ut haeresim ejuraret, armaque adversus Turcas in Peloponnesum ferret.

RES-

RESPONSUM

Oratori Venetorum petenti ut Sigismundo Malatestae parceretur.

Quaecumque rogat suadetque Venetus Senatus in partem accipimus meliorem; nec dubitamus verba menti consonare. Amica esse consilia duci mus. Bellum quod Malatestis indiximus non ab te justum fatetur; nisi enim justa est ultio nostra in Sigismundum; nullam aliquando vindictam nostri majores justam exercuere; satis vero correctum esse reum non recte judicat. Atrocia delicta atrocem exigunt poenam; merenti crucem, sufficere scuticam quis dixerit? *De furtis agitur* (a), *de rapinis*, *de adulteriis*, *de incestibus*, *de proditionibus*, de crimine laesae majestatis, de contemptu religionis, de impia haeresi (1). Et tu satis punitum dicis, cui pars agri adempta est, & in corpore nihil molestiae tulit? Subditi dedere poenas; Sigismundus adhuc intactus evasit. Dicis nos loco patris haberi, magnumque filii peccatum apud patrem levi poena multari. Omnes qui reipublicae praesunt recte subditos pro liberis habent. Et Senatus Venetus suos cives aut filiorum loco ducit aut fratrum: si filii sunt Veneti suorum magistratuum; cur tam rigide puniuntur cum deliquerunt? Nempe quia duabus rebus respublica continetur, poena scilicet ac praemio. Nulla diu stare civitas potest, nisi malos deprimat, & bonos extollat. Et Veneti quidem in coercendis criminibus semper habiti sunt severissimi; atque idcirco diuturna est vestra potestas, & imperium servatis legibus auctum. Non tulistis perniciosos cives; nulli apud vos licuit impune peccare. Mille sunt horrenda Sigismundi scelera; quorum dumtaxat unum, si ex vestris civibus quispiam admisisset, non sineretis eum vivere: nullae preces, nullae

Ex Lucensi Codice integram affert & Gobelinus lib. x. pag. 268. sed hic est passim reformata ex illis probabilibus causis quas alibi adduxi.

(a) Deest in Gobelino.

nullae pecuniae reum a morte redimerent Et nunc Sigismundum *omnium sceleratorum* [b] sceleratissimum venia dignum putetis? Filius Francisci Foscari veneti ducis (2), quod in suspicionem necati cujusdam civis venisset, diris excarnificatum modis exilio damnavistis. Brutus Romanorum consul filios securi percussit, qui adversus patriam cum Tarquiniis conspirassent. Nec Torquatus adolescenti filio vitam reliquit, qui adversus imperium suum, quamquam victor pugnae et in hostem. Et Nicolaus Marchio Estensis aetate nostra Ugonem filium neci tradidit *cum noverca in adulterio* [c] comprehensum [3].

(b) Deest.

(c) Deest.

Quid censes? Severos saepenumero natura parentes dedit; & tu sub lege constitutos justitiae prorsus immemores esse voles? exempla nobis Christi commemoras, & B. Petro mandatum a Domino datum, ut peccata dimitteret; & nobis idem faciendum asseris. Fatemur; ignoscendum est reis, quando reversos ad cor in veritate poenitet deliquisse, nec suo exemplo nocet impunitas. Providus pastor morbidas oves e grege procul abiicit. Medici ex humano corpore putridas carnes ferro demunt & cauterio; & tum maxime pietatem exercent, cum videntur esse crudeles. Omnes Christiani unum sumus in Christo corpus, & unus grex. Cavere oportet ne pars corporis infecta partem inficiat sanam, & ne morbida facta pecus totum corrumpat ovile. Amovenda sunt omnia quae corpori nocent. Non est pietas uni membro parcere, & totum corpus in discrimen adducere. *Si oculus tuus*, inquit Dominus, *scandalizat te, erue eum & proiice abs te*, (*& si pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proiice abs te* (d). & asserit melius cum uno oculo, & cum uno pede intrare in vitam aeternam, quam duos oculos vel duos pedes habentem mitti in gehennam ignis. Quid sibi haec volunt? Admonemur a Domino scandalosa membra praecidere, ne reliquo corpori noceant. Admonentur rectores urbium populorumque duces perniciosos reipublicae cives e medio tollere, ne multitudini efficiant. Sigismundum nulla malefactorum ..... (e) Id ei molestum *est* [f], quod non pejora patravit, *omissa deflet scelera non commissa* (g); *nec potest ad Deum reverti, qui nullum*

(d) Inclusa uncis desunt.

(e) In editis: poenitentia tenet.

(f) In editis: desunt.

(g) Desunt.

lum credit esse Deum. Impletum in eo est quod in sacris eloquiis scribitur: *Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit*.

Haereticus est. Haereticum jubet Apostolus post primam & secundam admonitionem devitari. Commonuimus hominem bis, ter, quater atque iterum: nil profuit. *Perversus est, ejus desperata salus* (b). Quomodo possumus homini haeretico subditorum nostrorum gubernationem relinquere? Si peccasset in nos Sigismundus, dimitteremus ei; at peccantem in Deum, divinae legis mandata deridentem, Romanae Ecclesiae insultantem, *jura omnia pervertentem* (i), christianae plebi non minus exemplo quam facto nocentem *ac prorsus incorrigibilem* (l) non possumus impunitum relinquere. *Ejiciendi sunt haec monstra* [m] ne praesint populis; auferenda sunt perniciosis bestiis regna, *nec feris* (n) tam immanibus ulla permittenda potestas. Dicis non esse auditum aetate nostra aut parentum nostrorum nobilem aliquam domum funditus esse deletam. Indignum putas vetustissimam ac nobilissimam Malatestarum familiam nostro tempore prorsus eradicatum iri. *Bis* [ ] falleris; *non sunt Malatestae* (4), *ut arbitraris, antiqui ac nobiles* [p]; *nova gens est, & ante ducentos annos prorsus incognita. Vilis origo ex oppidulo vili Pennarum, proditionibus & malis artibus in lucem venit, imperio rebellis & Ecclesiae adversa. Utinam possit, ut digna est, a terra deleri. Non erit prima, ut arbitraris, familia nobilis extirpata*. Quot vos Veneti illustres prosapias delevistis. *Omittimus* [q] quamplures nobiles in Foro Julii, in Istria, in Dalmatia & aliis provinciis imperio subjectis Veneto vestris decretis *paterna possessione dejectos, Scaligeros*, [r] *Carrarios, praeterire non possumus* (5), *quorum alteros Verona ac Vicentia, alteros Patavio, quamvis essent nobilissimi, deturbastis, imperioque privatos avito, inopes in exilium egistis. Marsilium vero, cum paternam haereditatem vendicare conaretur, interceptum summo supplicio damnavistis, duasque domos tota Italia clarissimas non horruistis extinguere*. Unde ista severitas? Nempe quod reipublicae vestrae videbantur insidiari; *& illi quidem non subditi vestri erant,*

sed

(b) Desunt.

(i) Desunt.

(l) Deest.

(m) Ed. Ejiciendi sunt peccatores ne

(n) Deest.

(o) Deest.

(p) Desunt.

[q] Deest.

(r) Desunt.

sed vicini & hostes & Imperatoris Romani vicem agentes. (s) *In alienos extendistis manus, & alterius jur vos non timuistis corrigere ac funditus delere*; & audetis nobis suadere ne subditos nostros, quamquam proditores, & omni scelere coinquinatos, eo quod nobiles sint; corrigamus? *Injurii estis, qui nobis ea in servos nostros licere negatis* [t] *quae vobis ipsis in alienos arrogavistis. Filios dicitis Malatestas esse, non servos; fuere filii quondam & liberi, servos fecere peccata.* Non pudet nos vestra sequi vestigia, & vestram imitari *severitatem*: [u] quin hac una potissimum via res vestras crevisse vulgo creditur. *Sed ais*, [x] *Malatestas omnia prius tentaturos quam regno pellantur; vitam facilius homines quam dominationem relinquere. Certum id quidem est. Verum necessitati cuncta obediunt.* Non est Malatestarum potentia quae viribus nostris resistere possit. Nudi auxilio sunt; nisi vos opem perituris affertis: nemo in Italia est qui sit eos adjuturus; non Florentini, non Dux Mediolani, non Borsius, non in Ferraria Vicarius, non alius quispiam. Omnes bello nostro tamquam justissimo adversus *proditores* & impios favent. [y] *Vos, si jungetis cum Malatestis arma, fatemur, conatus nostros impedire poteritis* (z); *& hoc unum rebus nostris periculum imminet. At hoc vestrum est auferre*, nec sine dedecore vestro Apostolicae Sedis judicium infringetis. Extant promissa vestra, quae nos certiores reddunt in cursu victoriae nostrae adversus Malatestas, nullum a Venetis impedimentum fore timendum: *Si secus evenerit, Senatus vester & mendax & proditor invenietur* [aa], *quod nobis in mentem venire non potest.*

(s) *Desunt.*
(t) *Desunt.*
(u) *Ed.* justitiam.
(x) *Desunt.*
(y) *Deest.*
(z) *Variant in editis.*
(aa) *Desunt.*

Nec Francorum Turcorumve nos metus agitat. Ludovicus Franciae rex Cathalonico & Britannico bello distinetur; Italico, si sapit, non implicabitur. Quod si ad res Italicas inclinaverit animum, Genuensium ante omnia rebellionem vindicabit (6), qui a patre suo desciverunt. Difficilis est expugnatio Ligurum, & nobis non parvum datura tempus. Quod si recta via adversus nos exercitum mittere voluerit; montes & flumina intersunt, & Insubrium princeps nobis affoederatus, qui hostes transire

sire non sinet. Nec Franci sunt qui pecuniaria auxilia mittere soleant; Italis praesertim, quorum fidem suspectam habent. Nec Turcis ad Ariminum via patet nisi per Adriaticum sinum, cujus vos esse custodes asseritis, & in quo vestrae semper excubant classes; sine vestra negligentia penetrare in Italiam nequeunt. Expugnabitur proculdubio Sigismundus *& infame delebitur Malatestarum nomen*, nisi vestra respublica sese opponat, quod nulla ratio suadet. At vicinos mutare times, & antiquos servare cupis. Mutabis, nisi conatibus nostris obicem posueris, verum justos pro iniquis, pro infidelibus fidos, pro inimicis amicos; aut enim Ecclesia illis succedet justitiae tenax & nullius conscia culpae, aut Malatestarum imperium aliis benemerentibus elargiemur, qui cum vestra republica perpetuo jungentur foedere, nec decretis unquam vestri Senatus adversabuntur. Quibus de rebus indignae sunt preces, quas pro Malatestis effunditis; nec nos illis auscultare decet. Justo insequimur impios bello. Non sunt digni venia, qui Deum contemnunt, & quorum salus multorum perniciem affert. Punire nocentes oportet, ne tuta videatur iniquitas, neve facilitas veniae incentivum praebeat delinquendi. Non est in exigenda poena periculum, nisi a vobis proveniat. Nec causam habetis cur coepta nostra impediatis; & contra fidem feceritis, *victoriae nostrae cursum ablaturi*. (*bb*) Hortamur igitur, ut de nostris subditis liberum nobis judicium relinquatis, nec ea petatis ex nobis, quae rogati ab aliis nullo pacto concederetis. (*bb*) *Deest.*

NOTAE

Ad Responsum datum Oratori Venetorum.

1. DE *impia haeresi*. Violatae religionis & fidei reum se praebuisse Malatestam affirmarunt, ii qui legali adversus eum inquisitioni instituendae missi, renunciarunt severa judiciali probatione sibi constitisse, negari ab illo animae immortalitatem, corporum resurrectionem, nec de futuro regno quicquam sperare. Hic igitur in eum accusatione judiciali rite probata, in pleno purpuratorum patrum senatu feudo excidisse declaratus est, tum & ignis supplicio adjudicatus, quae cum in homine executioni mandari sententia nequiret, imagini ejus ad vivum expressae inflicta est. Vide Gobelin. lib. 7.

2. *Filius Francisci Foscari*. Navagerius in hist. Ven. Rer. Ital to. XXIII. narrat Jacobum Foscari, Ducis filium, accusatum de acceptis clam muneribus ab iis, a quibus minime debuisset, exilio damnatum fuisse in Cananeam anno 1445. restitutum vero in gratiam Ducis patris sui iterum solum vertere in Cananeam jussum anno 1450. suspectum necis clam illatae Almerico Donat . Anno iterum 1456. accusatus denuo, quod graviter nescio de quo obloqueretur, jussu supremi magistratus missa trireme reductus fuit Venetias, ubi carcere aliquandiu clausus tum impositus quaestioni atque equuleo (*nell'Organo*) nihil de impactis criminibus fassus in pristinum exilii locum reductus est, perpetuae ejus custodiae quatuor deputatis viris, sumptu Ducis patris ejus detinendis; perpetuo insuper carceri addicendus si quid interim novasset.

3. *Nicolaus Marchio Estensis Ugonem filium neci tradidit*. Anno 1425. Nicolaus III. Marchio Estensis capitali supplicio enecandum tradidit Hugonem filium spurium, stupri reum cum Parasina Malatesta uxore sua. Vide

Vide Murator. Antiq. Est. par. 2. cap. VII.

4 *Non sunt Malatestae antiqui ac nobiles*. Malatestarum gentem accersit Pius seu Gobelinus lib. x pag. 251. ab agricola quodam in castro Pennae in Montisferrati agro aetate Friderici II imperatoris agente. Hic ut erat robusti corporis & militiae aptus Verruchium se conferens, eam vitae professionem suscepit. Cum in militem strenuum evasisset, Guelforum Ariminensium, qui duce carebant, principatum obtinuit. Tum potentia auctus & opibus, Rigetti Pandulfi Vicarii Imperialis filiam duxit in conjugem, quae viro trium oppidorum principatum in dotem tulit. Hinc dissidia inter Ghibellinos & Malatestas nata. Ventum ad arma: vicere Malatestae. Brevi tamen inter duces utriusque factionis conventum est, composita pace ea conditione, ut uterque commune haberet urbis imperium. Parum stetit inter ambitiosos concordia. Malatesta fraude usus expoliatum militibus adversarium, dein & principatu exuit, solusque regnavit. Haec familiae potentis exordia. Porro in formando augendoque principatu, mille scelera a Malatesta commissa arguit Gobelinus, quem adeas Comment. lib. 10.

5. *Scaligeros, Carrarios, praeterire non possumus*. Non vetera, sed nova Pius commemorat. Annus 1337. Mastino caeterisque Scaligeris fatalis est habitus. Illis perdendis Veneti usi sunt opera Marsilii Carrariensis, cui palam tractanti res Scaligerorum, Veneti arcanis pactionibus spoponderunt Patavinae urbis principatum, siquidem Mastinus expelleretur. Hac ille spe illectus simulque Venetis ac foederatorum armis adjutus, partim vi, partim astu id effecit, ut Padua Scaligeri pellerentur, idemque dein Marsilius ex condicto principatum est assequutus. Tenuerunt imperium illud Carrarienses usque ad annum 1385. quo & ipsi vicissim depulsi armis Venetorum. Surgentes iterum dejecti atque carceribus Venetorum macerati anno 1409. laqueo praefocati sunt. Marsilius Carrariensis, alter a priori Marsilio anno 1434. adire iterum paternam haereditatem tentavit, dum tamen Paduam venit sub

ementita veſte, agnitus ac detentus a Venetis capitali ſupplicio damnatus perimitur. Vide Navager. hiſt. Venet.

6. *Genuenſium rebellionem vindicabit*. Domeſticis diſſidiis aſſiduiſque moleſtiis Joannis Galeatii Mediolanenſis ducis afflicti Genuenſes dedere ſe Gallis coacti ſunt anno 1396. Sed & novi imperii poſtmodum pertaeſi anno tandem 1409. jugum excuſſerunt. Hinc natum jus Gallorum in Genuenſem ditionem.

AD

AD RESPONSUM

Datum legatis Renati Regis.

Argumentum.

DIU multumque immoratum est in exponendis juribus Renati Andegavensis, & Ferdinandi, Alfonsi Aragonii regis filii, in regnum Siciliae. Nec aliud est argumentum hujus orationis Sumpta enim occasione expeditionis Turcicae in conventu Mantuano stabilitae, quam Pontifex urgebat vehementer, Renatus rex per suos legatos Pium convenit, petiitque sive regni sibi possessionem concederet, sive utrique aemulo denegaret, vel saltem copias pontificias quas Ferdinando miserat, retraheret. Nihil horum concessit Pius, suaeque recusationis probabiles causas praetendit. Acta sunt haec anno 1462.

RES-

RESPONSIO

Data oratoribus Regis Renati Senis.

Ex Lucensi Codice. Renatus & Alphonsus.

DE regno Siciliae, cujus proprietas ad nos & Romanam Ecclesiam pertinet, quamvis duo reges armis inter se contendunt, non est tamen propositi nostri, cui jus competat in praesentiarum diffinire: id enim partium allegationes & altam requiret indaginem. Ad ea tantum nunc responsuri sumus, quae vos, oratores charissimi in Christo filii nostri Renati regis illustris, coram nobis proposuistis; cum superioribus diebus valitudini recuperandae gratia apud Balneas Macereti (1) ageremus. Et primum quidem illud, quod asseruistis de nobilitate & praestanti virtute regis ipsius, atque insignis familiae suae Andegavensium, nequaquam negamus. Cognita nobis est altitudo sanguinis, quae ab ipsa magni Caroli & Francorum nobilissima stirpe deducitur. Nec probitatem ejus ignoramus, neque inficiamimus Andegavensium prosapiam de Romana Ecclesia optime meritam esse. Siquidem Francorum beneficia christianae religioni, atque ipsi Ecclesiae praestita ipsos etiam Andegavenses illustrant. Et nos quidem Renatum regem ejusque domum singulari dilectione prosequimur, sibique bene cupimus. Nec recusaremus suae nobilitati in quavis re morem gerere, si modo ea peteret, quae salva dignitate facere valeremus. Verum quae per vos suo nomine requisita sunt, absque injuria tertii, & sine dedecore nostro fieri non possunt; sive de investitura regi Renato tradenda, sive de auxiliis sibi praestandis, aut ab altera parte revocandis loquamur. Haec enim tria sunt, quae a nobis expostulastis, offerentes homagium quando haec concederentur. At cur haec negare oporteat, aperta ratione monstrabimus.

Vo-

Vocati enim, ficut altiſſimo placuit, ad ſummi apoſtolatus apicem, regnum Siciliae, haudquaquam poſſeſſore vacans invenimus. Ferdinandus Alfonſi regis filius id poſſidebat; Alfonſus ab Eugenio quarto & Nicolao praedeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus inveſtituram, & regium nomen, & facultatem haeredis inſtituendi, & legitimationem atque habilitationem filii ad ipſum regnum obtinuerat; & antequam mortem obiret, Ferdinandum haeredem in eo regno inſtituerat; adductis regni baronibus atque civitatibus in ejus verba jurare. Et quamvis Calliſtus III. anteceſſor noſter proximus, per mortem Alfonſi regnum ipſum ad Romanam Eccleſiam devolutum declaraverat; proceres tamen regni univerſi & communitates, apud Capuam convenientes, Ferdinandum ſupra ſe regnare voluerunt, ſibique novum homagium praeſtitere. Neque unus in toto regno fuit, qui diverſae voluntatis videretur. Ob quas res, & Calliſto antequam vita excederet, & nobis poſtquam illi ſuffecti fuimus, magnopere ſupplicarunt, ut quieti regni conſulentes, regi, quem concordi populorum voto expeterent, eis concedere dignaremur. Idem petierunt ex nobis Venetorum, ducis Mediolani, Florentinorum, & Mutinae ducis legati, commemorantes foedus tempore Nicolai V inter potentatus Italiae (2) ad reſiſtendum Turcorum conatibus percuſſum, in quo etiam ipſe pontifex tanquam caput & cuſtos pro tutela religionis intervenit. Neque enim amiſſa recens Conſtantinopoli & Turcorum principe magna minante ſalvari poſſe chriſtiana res videbatur, niſi quocumque modo Italia pacata ſervaretur. In eo autem foedere expreſſum erat, Ferdinandum, Alphonſi regis filium, ejus regni regem futurum; neque minus cum eo quam cum patre foedus unitum. Hortabantur itaque legati totius fermè Italiae, & quaſi ex foedere, quod nos jam confirmaveramus, requirebant, ne regnum Ferdinando negaremus, neve paternam illi haereditatem auferendo novis Italiam litibus implicaremus, quae tunc Dei munere majori ex parte conquieſcere cernebatur. Ad haec, urgebat Jacobus Piciminus, qui ſub ipſum Calliſti obitum nonnulla Romanae

Vide Orationem ad objecta Gallorum.

nae Ecclesiae magni momenti oppida invaserat; neque expellendus apparebat, si novus ignis in regno excitaretur. Retulimus de ea re in sacro fratrum nostrorum collegio, & simul postulata Renati regis, qui pari modo regnum petebat, in medium adduximus: fratres ipsi, adversante nullo, Ferdinando investituram tradendam censuerunt; Renato juris viam offerendam. Sequuti sumus consilia fratrum, investirique Ferdinandum & coronari jussimus nullius juri derogando. Sic res gesta. Eugenii & Nicolai sanctorum praesulum iter perreximus; Italiae preces audivimus; foedus servavimus; paci & quieti subditorum consuluimus; nulli injuriam fecimus. Etsi declaratio Callisti, cujus supra meminimus, valida fuit, ut est pro sententia summi pontificis praesumendum, regnum ad nos & Romanam Ecclesiam jam redierat, licebatque nobis regnum, quod cum directo & utili dominio ad nos pertinebat, cui vellemus concedere. Placuit, & non sine causa placuit, Ferdinando, qui possessor esset, illud committere; nostroque decreto Ferdinandus rex appellatus est (3)? Nec regnum in duos capit. Quod si modo Renatum investiremus, duos reges fecisse videremur. Neque quisquam laudaret unius pontificis decreto duos reges creari. Neque tolerabile duceret, uno investito rege, alterum investiri, nisi prior aut male investitus aut regno indignus reperiatur, quod nos de Ferdinando indiscusso negotio nequaquam dicere possumus. Atque idcirco investituram, quam petitis, concedere nullo pacto valeremus, nisi prius aut investituram ipsam Ferdinandi invalidam ostendatis; aut ipsum indignum regno. Ad quas res si juris tramite Renatus procedere voluerit, rectum apud nos judicium inveniet, & nos aequi judicis locum tenentes, quamvis suis literis saepe nos sibi suspectos insinnaverit. Quod quantum de Romano Pontifice liceat juris iterpretes norunt. Atque haec ad investituram.

Homagium vero, quod pro ipsa investitura facturum regem offertis, ex eadem investitura dependet. Neque nos illud accipere recusabimus postquam constiterit Renatum investiendum esse. Ad quam rem, si vobis

quae

quae dicta sunt non satisfaciunt, rursus viam juris offerimus; nam causa cognita nihil regi vestro negabimus, quod jure sibi concedendum appareat. Quod autem secundo loco petivistis, de auxiliis Renato regi ad recuperationem regni praestandis, ex supradictis juste fieri non posse colligitur. Namque honestas [non] fert ut adversus eum copias mittamus, quem ipsi regem constituimus; licet id facere postquam discussa causa jus ei non competere manifestum esset: at prius non licet. Nec nos ii sumus, qui res a nobis cum consilio & matura deliberatione gestas inconsulte ac temere revocemus. Feret itaque pro sua justitia aequo animo rex Renatus, si ea sibi negamus, quae juste concedi non possunt.

Sed adjecistis tertiam petitionem, supplicantes, ut si Renato auxilia praestare nollemus, saltem eas copias ex regno Siciliae revocaremus, quas Ferdinando suppetias misimus; atque hoc unum negare non posse arbitrati estis, tanquam in eo summa aequitas contineatur. Vellemus sane ita esset; neque enim libenter aliquid agimus quod regi Renato, suaeque domui molestum sit, neque ex animo nostro est, subditos nostros arms inter se decertare. Et quantum ad auxilia missa pertinet, percupide his sumptibus levaremur: sed nil tam decet principem quam fidem servare. Meminimus supra ejus foederis quod apostolicae sedis nomine inter potentatus Italiae Nicolaus percussit, Callistus postea & nos comprobavimus ne pax Italica turbaretur, & ingens Turcis aperiretur in Christianos porta. In eo cautum est, si quis ex nominatis in foedere molestetur bellove impetatur, alios opem ferre debere. Non licuit nobis pacta refringere, & ei auxilium negare, qui ex foedere illud peteret. Sed affirmastis unam in foedere clausulam contineri, quae nos a ferenda ope liberaret. Nam ei tantum auxilia ex conventis praetanda sunt, quod a non lacessito invaditur hoste. Subditisque provocatum a Ferdinando Renatum fuisse, cujus provincia a triremibus ejus prius vexata sit, quam classis Gallica mitteretur in regnum; ac propterea non posse Ferdinandum ex foederibus agere, quia sibi ipsi provocaverit ac lacessiverit hostem. Atque

hanc esse rationem, propter quam viri graves, Veneti & Florentini Ferdinando auxilia negaverint. At nobis non constat, nisi ex relatu vestro, Ferdinandum quidquam novitatis in ditione Renati fecisse, propter quod merito provocator appellari queat; neque Venetorum aut Florentinorum consilia nobis aperta sunt. Illi de sua fide, nos de nostra respondére habemus. Credimus quidem viros prudentes & justi amatores nihil sine ratione agere. Sed diversi principatus diversos habent intuitus. Nobis illud exploratum est, in pactis ac foederibus bonam fidem ante omnia expectandam esse. Nec morosum esse debere aut causas negandi nectére qui ex foedere requiritur. Et sane non tam tolerandus est, qui contra pactum excipit, quam laudandus qui exceptioni renuntiat. Quod si quem servare promissa & cavillationes refugere oportet, id profecto summo Pontifici convenit, cujus dignitas, quanto est major caeteris ac celsior, tanto fides debet esse sincerior atque illustrior. Servavimus igitur Ferdinando quod nostri praedecessores per foedera promiserunt, & ad quae nos ipsi per ratihabitionem & confirmationem eramus obnoxii. Misimus auxilia in regnum, non contra Renatum; neque enim ejus inimici sumus, sed pro Ferdinando, ne regno dejiceretur priusquam regni causa decideretur. Renatus classem validam in regnum misit, Ferdinandumque velut hostem suum regno ejicere conatus est. Neque consiliorum suorum nos participes fecit, neque voluntatem nostram percunctatus est. Eoque tempore novis Italiam bellis atque motibus conquassandam duxit, cum nos de tutanda adversus Turcos religione apud Mantuam in conventu principum ageremus. Et quis arguere nos audeat, etiamsi foedera nulla extent, si de regno Ecclesiae Romanae subjecto eum sine juris cognitione expelli vetamus, quem praedecessorum nostrorum viam sequuti, regem fecimus? Dixistis, licuisse Renato inconsulta sede apostolica, penes quam directum regni dominium est, armis eum expellere qui se armis expulisset. Quod nos minime concedendum putamus; neque reges inter suos vassallos talia ferunt. Forsitan tolerabilis esset qui recens regno ejectus, nulla

novi-

novitate a domino feudi facta, in ejectorem mox arma moveret. At in regno Siciliae neque adversus ejectorem arma movit ejectus, neque statim post ejectionem, neque re integra. Nam Ferdinandus haudquaquam Renatum ejecit, quamvis ejectoris haeres est, & inter ejectionem & postea motum bellum duodeviginti (4) intercesserunt anni. Neque res regni in eo statu perseverarunt, in quo erant ejectionis tempore. Nam Eugenius pontifex maximus, ipsiusque regni dominus, Altonsum postea de regno investivit. Et, ut ante diximus, haeredis instituendi facultatem ei concessit, legitimato filio; quae omnia Nicolaus confirmavit; & nostra postmodum insequuta investitura est. Quod si, ut tenetur, Renatus Romano praesuli suam reverentiam praestitisset; profecto inconsultis nobis nullo pacto regnum bello tentasset, sed eam viam fuisset aggressus, quam sibi obtuleramus justitiae, atque judicii; in qua si victor evasisset tum demum juste, & nostro cum auxilio prosilire potuisset ad arma. Sed sibi visum est, ut asseruistis, licitum, etiam post longum tempus, impermissu directi domini regnum armis repetere, quod armis amisit. Nec veritus est eum bello lacessere, quem superior dominus summus pontifex investivit. Nos haec jure prorsus aliena censemus. Atque idcirco ferendam opem possessori decrevimus, misimusque copias nostras, quae non sinerent constitutum auctoritate nostra regem indiscussa causa regno privari. Prius tamen quam auxilia decerneremus, viam concordiae tentandam duximus, misso in regnum venerabili fratri nostro B. Archiepiscopo Ravennate (5), qui & arma utrinque ponenda & pacem recipiendam partibus suaderet. Hunc rex Ferdinandus benigne excepit; pars adversa adeo aspernata est, ut nec securitatem transitus ei praebere voluerit. Quibus ex rebus non licuit nobis petenti auxilia molestato regi non concedere; quando nec concordiae tractatus, nec juris via per partem vestram reciperetur. Auxilia vero quae missa sunt, durantibus missionis causis, nemo revocanda esse affirmaverit. Non est igitur cur de missione illorum conqueramini, nec revocare nos illa convenit, quae ad tutandum eum missa sunt, qui

neque judicium, neque concordiam refugit. Quod si, stantibus rebus prout stant, rex vester querelam de nobis facit, injurius est, nec res suas ex aequo metitur. Nobis autem multa occurrunt super quibus possemus justam quaerelam facere. Siquidem partis vestrae homines in nos & apostolicam sedem plurima peccaverunt. Nam comes Jacobus Picininus, dum vestro stipendio militat, Ascolum, non ignobilem Piceni civitatem, haud dubie Romanae abstulisset Ecclesiae, nisi qui ejus jussu proditionem parabant, capti & ultimo supplicio affecti fuissent. Idem, per agrum Ecclesiae absque nostra licentia transiens, nequaquam veritus est in contemptum apostolicae sedis insigne Ecclesiae in vexillis deferre, tanquam ejus dux esset, cujus audire vocem noluerat. Compertum quoque habemus Joannem Coxam pluribus modis enixum esse, ut civitatem Beneventanam nobis eriperet, sicut palam suo tempore monstrari poterit. Dux autem Sorae [6], qui & ipse partium vestrarum est, excaecatus auri cupiditate, familiari nostro, quem a praefectura arcis Beneventanae ad nos accersiveramus, publicam fidem dederat, ut per suam terram iter tuto faceret; mox post eum satellites misit, qui veluti latrones crudelissimi excussum omni auro caeterisque rebus hominem immanissime obtruncarunt. Haec licet nullatenus regi Renato aut ejus filio placere credamus, per homines tamen vestrarum partium facta sunt, & in apostolicae sedis ignominiam tendunt.

Illud autem nescimus qua ratione Renatus ipse facere adductus sit, qui novissime suos nuntios in civitatem nostram Avinionensem & comitatum Venusinum transmisit, jubens schedulam quandam legato & caeteris officialibus nostris coram legi, in qua de missione archiepiscopi Ravennatis conqueritur; & quem nos ad pacem perquirendam, & arma submovenda in regna misimus, ipse adversus se suosque sequaces missum affirmat, nosque suspectos sibi & graves asserens verbisque parum suae dignitati convenientibus utens, ad futurum concilium provocat: nesciens quantis se laqueis ac periculis involvat. Nisi enim provocationem ipsam quantocius revoca-

vocaverit, in poenas ac censuras illius decreti proculdubio incidet, quod Mantuae adversus provocantes ad futurum concilium de consilio conventus editum est. Nos enim pro fraterna caritate, qua sibi afficimur, ut ab his desistat hortamur, caveatque matrem suam, quae sibi benigna est, apostolicam sedem offendere: nec miretur si suis votis non satisfacimus, cum honestas & justitia repugnet: persuadeatque sibi nos sui honoris cupidos esse, qui si petierit ex nobis consentanea nunquam frustrabitur. De regno autem Siciliae, quia ita res se habent, ut ante relatum est, ferat aequo animo responsiones nostras, & cogitans quae pacis sunt ad concordiam sese inclinet; maxime hoc tempore quando pernecessarium est christianos reges de tutanda religione adversus hostes fidei sollicitos esse. Velit igitur aut concordiae aut justitiae viam amplecti, neque studeat armis quaerere quod legibus consequi non potest, si justitiam foverit. Ad quam rem, sicut prius saepe oblatum est, aequos judices nos offerimus. Revocaturi omnia quae Ferdinando praestamus auxilia, si adversari eum viae juris concordiaeve quovis modo intellexerimus.

N O T A E

In Responsum datum Legatis Renati.

1. Apud Balneas Macereti. *Maceretum oppidum est in agro Senensi, in cujus territorio quinto inde lapide Balnea sunt, quae Petrolii vocantur, morbis quibusdam medendis praesentissima Vide Gobelin. Comment. lib.* 4.

2. Foedus tempore Nicolai V. inter potentatus Italiae &c. *Bellum, quod Italiam dilacerabat certantibus inter se pluribus regionis illius principibus, tandem sub Nicolao V. pontifice anno* 1454. *quievit, composita solemni pace, ab Afonso rege primo quidem rejecta, dein & ab ipso pariter cum caeteris admissa:* 3.

3. *Summum Sacerdotium adeptus Pius potissimam eam curam habuit, ut regni Neapolitani res componeret, quas cum aliter non posset, Ferdinando Alfonsi filio adjudicandum imperium censuit; quare rescisso Callisti decreto, quo devolutum regnum illud ad Sedem Apostolicam declaraverat. Ferdinandum regem Neapolitanum renunciavit, missoque Latino Ursino Cardinali, regiis insignibus suo nomine ornari jussit anno 1558.*
4. Inter ejectionem & postea motum bellum duodeviginti intercesserunt anni. *Hanc annorum periodum exorditur Pius ab inclinante Renati regis fortuna; nam anno 1440. Alfonsus Renati principis res adeo in arctum reduxit, ut nec copiis quidem ab Eugenio IV. pontifice submissis sublevari vehementer potuerit. Vide Raynaldi annal. an. 1440.*
5. B. Archiepiscopo Ravennate. *Bartholomaeo Rovarella Ravennate Archiepiscopo, quem dein Pius inter purpuratos patres adlegit anno 1461.*
6. Dux Sorae qui & ipse partium vestrarum est. *Jam inde a primis regni Neapolitani motibus Petrus Cantelmus Sorae dux, arma pro Renato in Ferdinandum tulit; sed pontificis copiis in agrum suum sese superinfundentibus, instantibusque arci suae gravibus, sibi metuens, prius quidem fecit deditionem; tum pacem sub certis conditionibus redemit. Vide Gobelin. Comment. lib. 10.*

AD

AD SACRUM SENATUM

De profectione in Turcas.

Argumentum.

QUanto teneretur studio Pius ut in expeditionem Turcicam Christianorum Principum arma conjungeret, nullo magis perspicuo documento demonstravit, quam quod ipse sibi jam morbis confecto, aetateque in senium vergente [agebat enim annum aetatis LVIII. *] arduam provinciam ducendi in Turcas exercitum sumpserit. Id equidem longè ante annum pontificatus sui sextum mandasset executioni; siquidem ea quae Mantuae communi consilio pacta fuerunt, Principes majori fide servassent. Sed cum alii alias morae causas innecterent, nec ipsi pariter Pontifici expedire se facile à bellis, quibus interim tenebatur implicibus, successisset; factum est ut res ab anno* 1461. *ad annum* 1464. *traheretur. Tunc vero tandem Italia pacata, Ferdinando Aragoniensi in Neapolitano principatu restituto, ditione pontificia ab infestis tyrannorum armis liberata, advenisse jam tempus judicavit, quo maturatum tam multis annis & laboribus consilium impleret. Profectionem hanc initurus oratione ista cardinales alloquendos censuit, causas exponens cur tandiu distulerit; tum omnes singulosque hortatur, ut pro virili opus eximium adjuvarent, parcerent sumptibus privatis, quo plus largirentur in publicos. Manu, prece, consilio singuli accingerent se ad opus, summi pontificis principisque sui exemplum sequuti. Quo pariter incitamento sperare se dixit fore ut christiani caeteri principes cuntationem suam sollicitarent.*

AD

ORATIO

Ad Sacrum Senatum de profectione contra Turcos.

Ex Lucensi Cod. edita est etiam in comment. Gobelin. lib. XII. ex quo hic dant. variantes.

SExtus agitur annus, viri fratres, postquam B. Petri cathedram ascendimus. Quis vestrum interea defensionem fidei non multis magnisque precibus nobis commendavit? Quis non dixit bellum contra Turcum gerendum esse, & omnes Ecclesiae thesauros effundendos? Vestro consilio suasuque Mantuam ivimus, christianos ut ibi reges in belli societatem accerseremus: non successit ex sententia; non audiverunt christiani vocem pastoris. Reversi domum perturbata omnia reperimus. Joannes Andegaviae, Renati filius, navigia quae cardinalis Avenionensis sacra pecunia contra Turcos in Rhodano comparaverat [a], sibi arripuerat, & instructa classe adversus christianos in regnum Siciliae duxerat, atque Italiam, quae pace gaudebat, bello infestaverat. Misimus suppetias Ferdinando, qui rex erat a nobis constitutus, ne de regni possessione sine judicio ejiceretur. Rem difficilem inchoavimus; regni barones, paucis demptis, omnes adversus Ferdinandum rebellaverant. Magnum ac memorabile Franciae nomen haud parum in regno valebat. Accesserat Picininus Picinini filius (b), qui a rege Ferdinando ad Francos defecerat, & tanquam belli fulmen terrorem provincialibus ingesserat. In agris ecclesiae familiae nobiles aut aperte cum hostibus sentiebant, aut auxilia clam ministrabant, Ursinis exceptis atque Comitibus, quos aere conduximus. (c) *Sabellus intromissis Braccanis* (1) *omnem Sabinam, totum Latium reddidit infestum.* Columnenses in Campania saepe res novas moliti sunt. Eversus Anguillariae comes, modo unum, modo alterum furari oppidum aggressus, [d] *etiam vitae nostrae*

(a) *Alanus tit. S. Praxedis.*

(b) *Joannes Picininus Nicolai filius.*

(c) *Deest totum.*

(d) *Deest.*

strae

strae ferro ac veneno insidiatus est. Gentilis Salensis Urbem veterem occupare tentavit (*e*), & Ficullam nobis eripuit. Rebellaverunt & nobiles in arce Canali munitissima, quam putabant inexpugnabilem. Quid *Sigismundus Malatesta* [2]? Quot nobis molestias intulit? Liberatus ab hoste cui *penitus* [*f*] erat impar beneficio nostro, pacemque consequutus, Muldavium & alia oppida, quae jure pignoris tenebamus, per fraudem dolosque nobis eripuit, ad hostes defecit, Gallorum stipendia meruit, copias nostras in Piceno profligavit, omnemque late agrum populatus est. Perusini novarum cupidi rerum non tam nobis quam Piccinino favebant. Reatini vix in officio mansere. Romana juventus grassari per urbem, rapinas caedesque facere, hostemque accersire. Adversus tot tantasque difficultates nec Veneti, nec Florentini, ut ex foedere tenebantur, auxilia praebuere. (3) Dux Mutinae *juramenti immemor* (*g*) Gallorum partes enixissime juvit. Solus Franciscus Mediolanensium princeps Ferdinando nobisque auxilio fuit. Vidimus per id tempus vos ferme omnes trepidare metu, nec quisquam vestrum consilia nostra probabat. Ruituram Ecclesiam arbitrabamini; nec poteratis de nobis non dura loqui, qui re Turcorum *amissa* (*h*), bellum Gallicum suscepissemus, Ferdinandique magis causam quam Christi defenderemus.

(*e*) Vide Gobelin. lib. 4. pag. 111.

(*f*) Prorsus.

(*g*) Desp.

(*h*) Omissa.

Existimabatis ex animo nostro zelum fidei penitus decidisse; nec ullam nobis esse curam tuendae religionis. Falsa opinio fuit; male de nobis opinati estis; non videbatis cor nostrum, neque introspicere mentem poteratis. Nulli molestiores fuere quam nobis Turcorum victoriae, nullae ab illis subactae gentes, nullae urbes eversae, nullae Christianorum animae raptae, sine singulari moerore nostro, atque intensissimo dolore. Ardebat animus subvenire miseris, pudebat grassari hostes in agris fidelium, neque invenire resistentes. Sed quid ageremus? occupati bello domestico, foris pugnare non poteramus. Aut Roma cedere oportebat, aut Gallos vincere, qui spretis jussionibus nostris contra jus fasque Siciliae regnum invaserant, vasalosque nostres in circuitu contra nos armaverant. Necessaria sumpsimus arma, quae de-

fenderent, non quae offenderent. Pacare prius domum oportuit, deinde Turcos bello petere. Huc mens nostra, huc cogitationes omnes intentae fuerunt. Pro Christo pugnavimus cum Ferdinandum defendimus; Turcis intulimus bellum cum Sigismundi concupimus agros. Vidit ex alto pius atque optimus Deus animum nostrum, nobisque affuit, & direxit consilia nostra. Misit de Coelo Angelum suum atque hostes conterruit, & attrivit (i) *Sabellus omnibus exutus oppidis* (4) *praeter duo, prostratus ante pedes nostros veniam petiit*. Tyburtini, qui & ipsi propemodum ad hostes defecere, arcis subire jugum coacti sunt. Columnenses humiliati, summis precibus ut eos ab inimicis protegeremus pro vetustate dignitateque domus obtinuere. Eversus pavidus tremensque domi quiescit. Canalenses funditus deleti sunt. Gentilis quoque amisso patrimonio in exilium actus. Perusini dicto parentes effecti Reatini nulla imperata recusant. (l) *Anchonitani qui malis artibus Martianum a Sigismundo receperant, jubente legato Nicolao Card. Theanensi, ecclesiae tradiderunt*. Julius Camertinus, qui unus fuerat ex conspiratoribus *a Sigismundo citatis* [5], domi contra naturam quiescens, oppidum Scorticatae, quod non recto titu o invaserat, trepidus reddidit. Quid de Sigismundo sit actum tenetis omnes; cum Senogalliam nobis eripuisset, invasus ab exercitibus nostris fugatus, profligatusque est, vixque cum paucis evasit. Muldavium deinde vi captum, quamvis externo milite abunde munitum esset; & omnia vicariatus oppida in potestatem recepta [m]. Transivere copiae in agrum Ariminensem, brevique *Mundainnum*, *Montemflorum* (n), Verruchium, Sanctum Archangelum & circumiecta castella, partim vi, partim deditione nostri duces obtinuere, [o] *miro fortunae afflatu*; *modo vero* mirabili providentia Dei atque misericordia, inexpugnabilia quae putabantur loca, & quae nec Picininus, nec Franciscus Sfortia praeclari duces, quamvis tentassent, evincere nullo pacto valuerunt, brevi tempore capta sunt. Itum est ad Fani moenia; urbs magna & potens, & in littore maris jacens, unde saepe auxilia coepit; obsessa tandem manus dedit. Recepta & Senogallia

(i) Factiosi tyranni omnibus exuti oppidis, praeter pauca, prostrati ante pedes nostros veniam petiere.

(l) Deest.

(m) Nunc Mondaino.

(n) Idem forte qui hodie Monte Giardino.

(o) Deest.

gallia & Gradaria, quae Franciscum (p), in obsidione jacentem delusit. Nihil Sigismundo remansit praeter Ariminum, & quaedam in Apennini montibus inviosa loca, & in Etruria Cisterna. Magna Dei ultio, peste, fame, atque bello conteritur, qui paulo ante superbus per contemptum atque irrisionem, interceptis Episcopi Cornetani ornamentis, equitem ex suis quemdam jusserat illa induere, atque obequitantem per castra, quasi legatum summi Pontificis, populo atque militiae benedicere. Sic sacrorum contemptoribus Deus retribuit. Dominicus Malatesta, cum Sigismundo fratri opem tulisset, nostris conatibus adversaretur, magna parte agri multatus est, fuissetque Caesena rejectus, nisi resipiscens ad misericordiam nostram convolasset. Haec in agris ecclesiae gesta, extra regnum. Referamus nunc breviter quanto favore nos misericors Deus in ipso regno prosequutus est. Transeamus Campaniae recuperationem, cujus magna pars ad hostes defecerat. Concordiam Ursi Ursini, res Calabrum, expugnationem Cossentiae (q), reditum Marchionis Crotoniatis, & S. Severini familiae.

(p) Franciscum Sfortiam.

(q) Viri principes Neapolitani, qui Rerato cavebant.

Ad maiora veniamus. Quid Trojana victoria gloriosius (6), in qua omnes hostium vires in unum conjunctae infelix proelium commisere? Joannes Andegavensis, cujus auspicio res gerebantur, & Picininus, formidatus copiarum imperator, atque invictus existimatus [r] primorumque duces turpem arripere fugam coacti sunt. Troja deinde in potestatem venit, & Joannes Cossa regia liberalitate dimissus. Contra principem Tarentinum ductae copiae Asculum illi eripuerunt. Dux Melfiae ad Ofantum regi se dedit, & paulo post princeps ipse relictis Francis atque abjurata Picinini societate suo regi reconciliatus est, cum quo maxima procerum caterva in gratiam rediit. Neapoleo, nostri ductor exercitus, ad compescendam Sorani ducis temeritatem profectus, Insulam & Soram & Arpinum & alia pleraque magni momenti castella illi eripuit, ac frenum imposuit. Recuperavit & agrum Abbatiae S. Germani, & pontem Corvum olim Eugenio ab Alfonso ereptum; Antonio Spinello, praecipuo Gallici nominis assertori, tantum

(r) Primariique.

tum terroris incussit, ut subito morbo correptus obierit. Nepotes in arce (s) VVilelmi, quam putant inexpugnabilem ecclesiae vexilla erexerunt. Duxit & adversus Ruggerottum Celani comitem, qui Picinini armis adjutus privatam imperio matrem in carcerem conjecerat; huic brevi tyrannidem ademit, atque ut Ferdinandus decreverat, comitatum nepoti nostro Antonio tradidit (t). Ex altera parte Alexander Sfortia ab Apulis per asperos montes in Aprutios duxit, conjunctusque Matthaeo Capuano & Roberto Ursino in Candolas Picininumque contendit, qui apud Archas castra tenebant. Non fuit animus hostibus cum Alexandro manus conferere: mutatis castris ad munitiora montis loca migraverunt, ac misso caduceatore pacem petentes, post paucos dies compositis rebus suis, Ferdinando se subm sere. Duxit & Alexander adversus Aquilanos qui omni spe auxilii destituti, mox deditionem fecere, quamvis liberos & uxores commesturos olim se dixerant priusquam Francos relinquerent, ut saepe major oris quam animi ferocitas reperitur. Ferdinandus, vastata Rossani principis agrorum magna parte, in planitiem Sinvessanam ingredi conatus est, quae mari, flumine ac montibus clausa difficillimos habet aditus. Vicit omnia constans animus divino favore adjutus; munimenta disjecta sunt, & omne praesidium ad turrim, quam vocant, Balnearum locatum, magna vi repulsum, obtenta est: planities, & ager omnium ditissimus direptioni datus, atque usque ad portas Sinvessae percursum. Consternatus tandem animo Rossani princeps, quamvis Andegavensis cum duabus equitum turmis auxilio advenisset, pacem nihilominus petit, mutatusque nonnullis munitissimis locis in pristinam benevolentiam receptus est. Joanni libertas data intra quindecim dies quocumque vellet extra regnum abiret. *Is apud Enariam* (7) se recepit, ibique Cathelani fidem sequutus, qui suum dominum prodidit, egens moerensque latitat. Haec illi praemia sunt violatae fidei (u) Ecclesiasticae classis in christianos armatae. Sic Deus in suos hostes ulciscitur. Quis non haec divina opera recognoscat? Non sunt haec nostra, viri fratres. Deus, Deus est qui talia ordi-

(s) Nepotes ejus nunc munitio S. Elmi vocatur, in monte imminenti urbi Neapolitanae sita.

(t) *Antonio Piccolomineo qui dein Melfica ducatum & titulum obtinuit.*

(u) Et Ecclesiasticae.

orditur & texit. Maximum regnum quadringentis circiter millibus passuum protensum, nusquam minus quam centum millibus latum, tot urbibus, tot munitis arcibus refertum, tot baronibus, tanta militia plenum, cum uno anno concordi rebellione ad Francos defecisset, paucissimis aut civitatibus, aut baronibus cum Ferdinando remanentibus, donante Altissimo, cujus est regna de gente in gentem transferre, huc denique redactum est, ut omnia Ferdinandi nomine teneantur; exceptis in Aprutiis Ortona, in Apulis Manfredonia, Bestia, Sancta Severa, & arce Luceriae & Campi Barsi comitis parvula regione. In Calabris Manthea, *& si qua sunt aliis sine nomine locis* (*x*). In Tyrrheno mari è regione Neapolis Castrum Ovi semidirutum ab hostibus detinetur; & non procul a Bais arx Enariae, in qua diximus Joannem latere; reliqua nostris & sociorum armis evicta ad officium rediere. (x) *Deest.*

Quorsum haec, quaeritis, tam longa narratio? nempe ut intelligatis beneficia magni Dei, quibus Romanam Ecclesiam & vos, nosque cumulavit; ut cogitetis una nobiscum vicem rependere, atque habere gratias largitori. Peracta sunt duo gravissima bella, Siculum, ac Picense; & quamvis reliquiae in regno nonnullae remanserint, satis est quod nostris cogitationibus impedimento esse non possunt. Ipse per se Ferdinandus minuta haec quae restant evellere offendicula sufficit. Nobis jam liberum est adversus Turcos arma capessere Non possumus amplius nec volumus differre. Nunc desiderium nostrum implere licet; nunc pro fide pugnare fas est, quod semper optavimus. Novit Deus cogitationes nostras, hisque viam jam tandem expeditam reddidit. Rogastis nos saepius, ut idipsum ageremus. Nunc vos rogabimus, cavete, ne quod in nobis reprehendistis increpare possimus in vobis. Nunc vestra fides, vestra religio, vestra devotio in lucem veniet. Si vera erit non ficta caritas vestra nos sequemini; exemplum dabimus vobis, ut quemadmodum nos ipsi facturi simus, ita & vos faciatis. Nos autem magistrum & Dominum nostrum Jesum Christum, pium, & sanctum pastorem, imitabimur, qui pro

suis

ſuis ovibus animam ponere non dubitavit. Ponemus & nos vitam noſtram pro grege noſtro, quando aliter Chriſtianae religioni, ne Turcorum viribus conculcetur, ſubvenire non poſſumus. Armabimus claſſem, quantam pro facultate Eccleſiae inſtruere poterimus; aſcendemus navem, quamvis ſenes morbiſque conquaſſati; dabimus vela ventis, atque in Graeciam & Aſiam navigabimus. Et quid ages dicet quiſpiam in bello? ſenex, ſacerdos, mille morbis oppreſſus & in praelium ibis? Quid togata valebit in pugna cohors? Quid ſacer ordo Cardinalium praeſtabit in caſtris? vix tympana tubaſque ferent, ne dicam bombardas hoſtium. In delitiis egere juventam; & tu ſenium macerabis armis? Inconſulte agis, melius domi cum Cardinalibus, atque omni curia remanebis. Claſſem vero argento paratam fortique & aſſueto malis milite inſtructam mittes in hoſtem, aut Hungaris aurum ſuggeres, qui copias quam validiſſimas in Turcos agant. Pulchre dictum & utile, ſi adſit aurum, ſed unde id corrademus? AErarium noſtrum diutino bello exhauſtum eſt, nec proventus Eccleſiae hi ſunt, qui tantae rei ſufficiant, quamvis divino munere aluminis vena reperta eſt, quae magis ac magis divinae pietati nos obligat, & ad tuendam religionem invitat. Omnis pecuniarum ſumma, quae ſingulis annis ad cameram noſtram pervenire poteſt, trecenta millia auri nummum haud quaquam aſcendit. Mediam partem cuſtodes arcium & praefecti provinciarum, & belli duces, & aulici noſtri conſumunt. Neque his ſumptibus carere apoſtolatus poteſt; quis reliquum ad debellandos Turcos ſufficere dixerit? Intelligitis pro veſtra *providentia* (*y*) longe majori pecunia opus eſſe. Vix decies centenamillia in annum ſufficiant Turconico bello, quod triennale, aut certe longius futurum in Mantua viri docti judicaverunt. Audimus inſuſſurrationes veſtras. Si adeo difficile bellum cenſes, qua ſpe pergis non apparatis viribus quae ſufficiant? Iſtuc venimus, bellum neceſſarium cum Turcis imminet; niſi ſumimus arma atque occurrimus hoſti, actum de religione cenſemus. Tales inter Turcos erimus, quales inter chriſtianos Judaeorum deſpectam cernimus gentem.

(y) Prudentia.

tem. Nisi bellum sumimus, infames sumus. At bellum sine pecunia geri non potest. Quaerere occurrit hoc loco ubi pecuniam perquirimus? a fidelibus christianis, respondebitis. Urgemus amplius, quo pacto? quonam modo? omnes tentatae viae sunt, nulla voto respondit. Indiximus Mantuae conventum; quis inde fructus emersit? Misimus in provincias legatos; spreti atque irrisi fuere. Imposuimus clero decimas; appellatum pernicioso exemplo, ad futurum concilium. Jussimus indulgentias praedicare; aucupium id esse ad extorquendas pecunias dixere, & inventum curialis avaritiae. Omnia quaecumque agimus, in partem deteriorem populus accipit. Ea conditio nostra est, quae mensariorum *prodita* [z] fide, nihil creditur nobis. Despectui sacerdotium est, & *infame* [aa] nomen cleri. *Ajunt nos in deliciis agere, cumulare pecunias* (bb), *ambitioni servire, mulabus insedere pinguioribus ac nobilioribus equis, extendere fimbrias paludamentorum, & inflatis buccis sub rubenti pileo, & ampliori cucullo per urbem vadere, canes ad venandum alere, histrionibus & parasitis multa largiri, in defensionem fidei nihil; nec omnino mentiuntur. Sunt plerique inter cardinales & reliquos curiales, qui haec agunt. Et si vera fateri volumus, nimius est curiae nostrae vel luxus vel fastus, hinc odiosi populo sumus adeo, ut nec vera dicentes audiamur.*

(z) *Perdita.*

(aa) *Deest.*

(bb) *Desunt sequentia omnia.*

Quid agendum in tanta contumacia censetis? An non quaerenda via est qua perditam fidem recuperemus? Utique, dicitis. Et quae via huc nos ducet? nulla certe nostris temporibus usitata. Ad insueta jam pridem itinera transeundum. Quaerendum est quibus artibus majores nostri hoc nobis imperium ecclesiae latissimum pepererunt, atque illis utendum. Principatus enim facilè his modis retinetur, quibus a principio partus est. Abstinentia, castitas, innocentia, zelus fidei, religionis fervor, contemptus mortis, martyrii cupido Romanam Ecclesiam toto orbi praefecerunt. Primi Petrus & Paulus inclyto martyrio dicaverunt; sequuti deinde pontifices, alter post alterum longa serie ad gentilium tribunalia rapti, dum falsos Deos accusant, Christumque verum & singu-

ſingularem Deum manifeſta voce fatentur, exquiſitis ſuppliciis mortem obiere, eoque pacto novellae plantationi conſuluerunt. Credidere diſcipuli magiſtros vera loquutos, qui ſuam doctrinam morte firmaſſent, nec ullis potuerunt ab ea tormentis avelli. Veri & probati paſtores, qui pro gregibus ſuis animam poſuerunt, magiſtrum & Dominum imitati Jeſum, ac eruum & optimum paſtorem, qui pro ſuis ovibus in ara Crucis occiſus humanum genus pio Patri reconciliavit. Converſis deinde ad Chriſtum Romanis, apertis eccleſiis, & evangelio paſſim diſſeminato, ceſſavere martyria, & ſancti Confeſſores introjere, qui doctrinae lumine, ſanctioriſque vitae fulgore, non minus Chriſtianis plebibus praefuerunt, quam martyres, vitiis hominum frena ponentes, quae ſolent in pace latius evagari. Ab his & *aliis* (*cc*) eccleſia noſtra magna effecta eſt. Servari non poteſt, niſi praedeceſſores noſtros imitemur, qui regnum eccleſiae condidere; nec ſatis eſt *confeſſores* [*dd*], praedicare populis, fulminare vitia, virtutes in Coelum tollere; ad priores illos accedendum eſt, qui pro teſtamento Domini ſua corpora tradiderunt. Nihil eſt quod pro ſalute gregis nobis commiſſi perpeti non debeamus, etiam ſi anima ponenda ſit.

(*cc*) *Et ab illis*

(*dd*) *Confeſſores eſſe.*

Turci modo iſtam, modo illam Chriſtianorum provinciam vaſtant. Boſna hoc anno capta eſt, & rex gentis obtruncatus. Trepidant Hungari; trepidant vicini omnes. Quid faciemus? armatas illis copias mittemus obviam? Non eſt aurum unde parentur: Quid ergo? Reges hortabimur, illis occurrant, atque hoſtes e noſtris finibus propulſent? At hoc fruſtra tentatum eſt. Non belle dicitur: ite; fortaſſe melius audient; venite. Hoc tentare libet. Stat ſententia in bellum contra Turcos pergere, Chriſtianoſque principes ut nos ſequantur, facto ſimul & verbis invitare: fortaſſe cum viderint magiſtrum & patrem ſuum, Romanum Pontificem Jeſu Chriſti Vicarium, ſenem & aegrotum in bella vadentem, pudebit eos manere domi; arma capient; defenſionemque ſacrae religionis fortibus animis amplectentur. Haec niſi via chriſtianos in bellum excitat, neſcimus aliam; hanc

in gre-

ingredi placet. Scimus rem ſenio noſtro pergravem eſſe, noſque ad certam quodammodo mortem profecturos, neque hanc recuſamus. Cuncta Deo committimus, fiat voluntas ejus; moriendum nobis aliquando eſt, neque intereſt quo in loco, dum bene moriamur Beati qui moriuntur in obſequio Domini. Mors bona malam vitam redimit. Nobiſcum bene actum putabimus, ſi Deo placuerit in ejus ſervitio noſtros finiri dies. Vos, qui tantopere nos adhortati eſtis in Turcos moveri bellum, domi in otio remanere non decet. Oportet membra ſuo coaptari capiti, & illud ſequi quocumque ierit. Quod agimus neceſſitatis eſt. Promiſſa eſt profectio noſtra Philippo Burgundiae duci. Votum is voverat, profecturum ſe contra Turcos in bellum, ſi aut Imperator, aut Rex Franciae, aut alius princeps, quem ſe ſequi non dedeceret, idem agere proponeret. Intelligebamus quanti momenti eſſet profectio Philippi, quem magna pars Occidentis ſequitur. Cupiebamus hoc iter incipere, atque (ut ajunt) glaciem perfringere primum; haud dubitantes quin eum maxima nobilium ac procerum multitudo ſectaretur. Verum neque Imperator, neque Rex Franciae, neque princeps alius eo ſuperior in Turcos proferre arma animum appoſuit. Solutum ſe voto Philippus exiſtimabat, cujus non eſſet impleta conditio. Venit in mentem excuſationem hanc ei ſubripere. Vocatiſque ſex cardinalibus, quorum fides ac taciturnitas ſpectata nobis erat, anno ab hinc fere ſecundo propoſitum noſtrum aperuimus. Obſtupuere ad primum ſermonem cardinales, rem maximam & ſuperioribus inauditam temporibus probare non poterant. At poſtquam ſaepe conſultum eſt, & hinc pericula fidei, & inde Eccleſiae Romanae detrimenta aequis lancibus ponderata ſunt, in ſententiam noſtram omnes conceſſere. Scripſimus itaque Senatui Veneto propoſitum noſtrum, indicto ſilentio, ejuſque principis conſilium & auxilium poſtulantes. Placuere Venetis meditata noſtra, atque auxilium promiſerunt, ſummaque fide ſilentium ſervare. Epiſcopum deinde Ferrarienſem ad Ludovicum Regem Franciae miſimus, qui veluti ſomnia dicta noſtra contempſit, ratus idcirco talia nos effinxiſſe, ut

ut ejus animum a rebus Italicis averteremus; quamvis majora ejus fuere somnia, qui se uno anno victurum Angliam, *atque Hispanicas contentiones* [8] pacaturum jactitavit. Deinde per Italiam domitis Genuensibus, subactoque Siciliae regno facile in Graeciam trajecturum, omnes barbaras nationes edomiturum. *Sprevit* (ee) Ferrariensis *gloriabundum* (ff) Regem, & ad Philippum (ut erat jussus) recta se contulit, ad quem cum venisset lectulo cubantem, atque inter caetera dixisset, necessarium esse ei contra Turcos arma sumere, votoque satisfacere; nam & nos ipsi in eam expeditionem profecturi essemus, qui Regis, & Sacerdotis locum teneremus. Probe ades, inquit, episcope, nam hoc mihi nuntio sanitatem affers. Faciam quae jubet pontifex, eumtem sequar, brevi ad eum legatos de tota re transigenda missurus. Ecce adsunt legati, audivimus eorum postulata, defensionem fidei nobis suadent, atque in Turcos bellum; promissa Ferrariensis exigunt, venturum principem dicunt, si nos pergimus; si minus domi mansurum. Quid aimus? Promissa Duci & Venetis profectio sine dedecore, summaque turpitudine negari non potest; non est integra res ire oportet. Periculosum iter ingredimur, non negamus, nobis scilicet qui senes & valitudinarii sumus; caeteris non item, quando spes magna victoriae consequendae oblata est. Neque enim soli in hostem pergimus. Venetorum valida classis, & maris domina nos comitabitur. Aderunt & alii potentatus Italiae; Dux Burgundiae Occidentem attrahet secum; a septentrione urgebit Hungarus & Sarmata. Rebellabunt per Graeciam Christiani, atque in castra nostra procurrent. Albani, Servi, Epyrotae libertatis tempus advenisse gaudebunt, & partes nostras adjuvabunt; nec deerunt in Asia motus, Caramanni, & Janse, & aliorum qui Ottomannos oderunt. Adsit tantum divinus favor ad victoriam; caetera succurrunt.

Nec nos pugnaturi pergimus corpore debiles, & sacerdotio fungentes, cujus non est proprium versare ferrum. Moysem illum sanctum patrem imitabimur, qui pugnante adversus Amalecitas Israele, orabat in monte,

Sta-

(ee) Deservit.

(ff) Deest.

Stabimus in alta puppe, aut in aliquo montis supercilio, habentesque ante oculos divinam Eucharistiam, idest Dominum nostrum Jesum Christum, ab eo salutem & victoriam pugnantibus nostris militibus implorabimus. Cor contritum & humiliatum non despiciet Deus noster. Eritis & vos nobiscum, exceptis senibus, quibus ut remaneant ignoscimus, orabitisque pariter, & operibus bonis christiano populo divinitatem reddetis propitiam. Cogitatis dum ista dicimus, quod erit interea Romanae regimen Ecclesiae. Recusabunt ultramontani ultra mare te sequi, nec in absentia tua satis tutum erit Ecclesiae patrimonium. Istuc pergimus; omnia provisa sunt. Audite; Romanam curiam, & omnia ejus officia, & duos pariter legatos ex ordine vestro apud urbem relinquemus; alter spiritualibus negotiis praeerit; temporalibus alter. Invenient omnes quod quaerent non iniqua petentes, majores tantum causae & perdifficiles & rarae ad nos deferentur. Vicarius noster justitiam temperabit, beneficia conferet, viduatis providebit ecclesiis, succurret egentibus, dispensabit, gratias elargietur pro dignitate & meritis personarum. Alter subditis Ecclesiae jus dicet, & propulsabit hostem, praesidio militum fultus quorum ductor erit Antonius nepos noster; huic equitum tria millia, peditum duo millia relinquemus, quorum pars apud Picenses manebit. Hoc pacto, quantum humana possumus ratione prospicere, in tuto dimittemus omnia. Sed nihil est, in quo magis speremus, quam in adjutorio Altissimi. Nisi enim Dominus custodierit civitatem frustra vigilat qui custodit eam. Pro Deo nostro propriam sedem & Romanam Ecclesiam relinquimus, & hanc canitiem, atque hoc debile corpus suae pietati devovemus; non erit immemor nostri. Si non dabit reditum, dabit in coelum aditum, & primam sedem, sponsamque suam servabit indemnem. Audistis propositi nostri seriem. Vos nunc vicissim animi vestri sententias promite.

NOTAE.

1. CUM Braccianis. *Ex Braccio de Montono viro nobili Perusino, Ecclesiae adversario natum Braccianorum nomen censeo, quo facto Ecclesiae adversa designaretur.*

2. Sigismundus Malatesta liberatus ab hoste, &c. *Jacobo Picinino claro militarium copiarum ductore. Strenuum hunc virum cum ea, quae sub ipso militabat manu, Fridericus Urbinas immiserat in Sigismundum, quo cum privatas inimicitias fovebat. Pacis arbiter factus est Pius, a quo praescriptis legibus ita est composit., ut a praesentissimo periculo Sigismundum eripuerit. Vide Gobelin. lib.* 3.

3. Dux Mutinae juramenti immemor. *Ferrariae principatum tenens Borsus dux Mutinae, feudi lege Ecclesiae Romanae fidelitatem juraverat. Quare arma capiens in Ferdinandum regem, S. R. E. feudatarium juratam fidem fregisse judicandus erat.*

4. Praeter duo. *Nomine illa suo designat idem Pius in Comment. Gobelin. lib. x. sunt vero illa* Aspra & Plumbaria, *loca in Sabinae montibus collocata, natura & arte munitae arces.*

5. Unus ex conspiratoribus a Sigismundo citatis. *Ad extremas angustias redactus Sigismundus Malatesta saniora tandem consilia arripienda sibi censuit: quare precariam pacem a Pontifice petiit & obtinuit. Tunc verò crimina omnia sua humili confessione palam exponens coram legato pontificio forte etiam detexit authores, qui conspirationem in Pontificem moliti fuerant, de qua in Commentar. Gobelini lib.* 4.

6. Quid Trojana victoria gloriosius? *In toto hoc Neapolitano bello nihil celebrius, nihil conducibilius ad res Ferdinandi sublevandas efferendasque quam pugna illa ad Trojam Campaniae urbem commissa, in qua Ferdinandus Aragonius cum Andegaviensibus signa conferens victoriam absolutissimam retulit, cujus fructus extitit Neapolitani regni asserta possessio. Victoris enim fortunam*

tunam sequuti sunt statim Neapolitani principes qui pridem ad Gallos defecerant. Vide Gobelin. Comment. lib. 12.

7. Is apud Enariam. *His quae a Pio subobscure indicantur lucem affundunt ejusdem Pii commentarii sub Gobelini nomine vulgati lib. XII. his verbis:* Joannes Andegavensis (*Renati filius*) qui Marino (*Rossani principi*, cum duabus equitum turmis auxilio venerat, intra dies quindecim ex agro Sinvessano jussus excedere, intra constitutam diem ad Enariam insulam [*nunc Ischia*] navigavit, fideique Joannis Entoreliae se commisit, hominis Aragonensis (*hic in oratione habet Catalani; sed Cathalani Aragoniae Regi tunc subdebantur*) famosi piratae, & qui dominum suum Ferdinandum prodidisset.

8. Hispanicas contentiones. *A Jacobo Aragoniae rege Cathalani desciverant. His redigendis ad officium Jacobus Ludovici regis Galliarum auxilium imploraverat, pactus cessionem Ruscionensis comitatus. Hic Pius spectat. Cum rege verò Angliae veteres inimicitiae intercedebant.*

AD

AD ORATORES VENETOS.

Ex Lucensi Cod. edita est a me in to. V. Sup. Concil. pag. 304. E denda erat supra, sed nos hic omnia simul brevia Pii responsa ut sunt in nostro Codice damus.

FAtemur, insignes Venetorum Oratores, nos superioribus diebus non parum admiratos esse, quod eos qui primi esse debuissetis in hoc conventu, ultimi omnium de veniendo cogitaretis. Nam quid aliud hic quaeritur quam eum percere hostem, qui vestris cervicibus imminet, & qui rempublicam vestram in primis odit? Quippe si cujuspiam interest Turcos exterminari: & Hungarorum & vestra interest. Dolebamus eo deductas res esse, ut rogari vellent qui rogare deberent. Multa per vos in excusationem dicta sunt, & quidem prudenter atque ornatissime; quae tamen nos facile dissolveremus ubi contendendum esset. Sed satisfactum est omnibus, postquam venistis, & magnificas oblationes facitis. Magnifacimus dicta vestra, neque ignari sumus Senatum Venetum ad bellum contra Turcos plurimum posse, sive mari sive terra praelietur. Non latet nos quotiens vestri progenitores magnas classes gessere, & magnas tulerunt ex hoste victorias. Legimus majorum vestrorum gesta quae cum antiquis comparanda sunt. Nec ignoramus quae praestitistis Alexandro III. auxilia; quae aliis pontificibus: nec nos latet ornamenta quae ipse vobis Alexander praebuit. Fuistis & vos Ecclesiae faventes, & ipsa vobis benignissima extitit. Scimus captam a vobis olim Constantinopolim esse. Scimus, quas in Asiam, quas in Syriam contra infideles misistis armatas, indeque vestra res aucta. Voluit enim Deus vos magnos facere qui magna pro sua gloria fecistis. Sed advertere nos oportet quod quanto majores estis, tanto majora pro fide Christi facere oportet, ut Gregorii sententia est. Si enim cum vestrum imperium multo minus esset quam hodie, Mahumetem longe invasistis; quid nunc facere debetis? etsi hostes longe positos aggredi non timuistis; cur nunc non audetis quando vicinus est, & magis nocere potest?

Nunc

Nunc potissime cogitandum est. Vos primi estis quos illi invadent post Hungaros. Non vestri causa haec agimus ut occurratur & Hungarorum *causa* (a)? Si non juvatis modo Hungaros; quaeretis juvari & non juvabimini Sed animadvertimus vos boni esse animi, laetamur & confidimus vesto auxilio & Dei adjutorio, quando alii multi concurrunt rempublicam non deserendam esse: De consiliis vestris post simul conferemus, & putamus quod vestro & aliorum consilio, adjuvante Domino, respublica christiana magnifice defendetur.

(a) f. causae;

RES.

RESPONSIO

Facta oratoribus regis Castellae per Sanctissimum D. Pium II.

Ex Lucensi Codic. 1462.

DOminatorem Coeli, & Terrae, eumdemque creatorem mundialis machinae, simulque conservatorem unum esse Deum omnipotentem primi omnium mortalium Hebraei confessi sunt, apud quos illa frequenter vox audita est: *Israel Deus tuus unus est*. Inter gentes diversae fuerunt haereses. Alii stulto errore & stulta ducti caligine nullum esse Deum crediderunt, & incerto casu mortalia ruere putaverunt. Alii Deum quidem esse arbitrati sunt, sed minime solum; multos esse & inter se quoque diffidentes stulta meditatione professi sunt; & hi rursus in alias divisi sectas. Quidam curare mortalia superos censuere; quidam negligere. Fuerunt & gentilium nonnulli, qui veritati propius accedentes, quamvis plures Deos esse assererent, unum tamen Deorum omnium patrem Deum, ducem, imperatorem ac dominum faterentur, a quo conditum orbem gubernari regique minime dubitarent asserere. Quorum principem Platonem esse perspicuum est. Nec Aristoteles, quamvis aeternitatem mundi videtur astruere, unitatem magni Dei confundit; quippe qui non solum coelestia, sed & terrena quoque ab uno regi principe optimum ducit; cujus sententiam omnis ferme philosophorum schola confirmat. Saraceni qui Mahumeten sequuntur, quamvis decepti pseudo-magistro in plurimis errant, in hoc tamen veritati consentiunt, quia plures nominare Deos abominabile ducunt, & ab uno regenda omnia profitentur. Christiani, apud quos solum incorrupta patrum servatur auctoritas, qui soli noverunt viam vitae, & qui novi testamenti paginam ex veteri codice ex-

extraxerunt, quamvis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum tres personas esse asserunt, unum tamen Deum esse fatentur, unam substantiam unamque potestatem, qua cuncta reguntur & quae sunt supra in coelis, & quae infra in terris. Animadvertit quoque christiana veritas omnipotentem Deum qui pro sua voluntate cuncta disponit, pergratum habere, ut quemadmodum coelestis aula unum rectorem habet, a quo cuncta dependent; ita terrena gubernatio ex unius voluntate disponeretur. Ob eam rem, cum primum rationalis creatura condita est, ab uno coepit Adam, cujus regimini commissa sunt omnia. Legimus in Genesi ab Adam usque ad Noe per annos supra duo millia patresfamilias connumerasse, quorum nomina referuntur quos singulariter alter post alterum regnasse non est obscurum. In arca unus praefuit omnibus Noe, cum deinde inter filios Dei & filios hominum disceptatio orta est, apud filios Dei unitas imperii servata est per Abraham, Isaac & Jacob. Cum vero filii Jacob in AEgipto supra modum opprimerentur, per unum, qui cunctis praefuit, liberatio parta est, Moysen, qui virtute miraculorum & populum traduxit in desertum & Pharaonem cum omni exercitu percussum maris aquis obvolvit. Successere deinde Salvatores populi alter post alterum quos Judices vocavere, Josue, Judas, Barach, Gedeon, Yepte, Sanson & reliqui a Domino instituti. Exinde reges creati sunt, Saul, David, Salomon, & in unius potestate cuncta fuerunt. Scissum est regnum sub filio Salomonis Roboam, & duo reges esse coeperunt, non tam dispositione divina quam permissione: sic regis & populi requirente peccato. Postquam vero regia potestas extincta est & alienigenae dominati sunt Judaeorum, & modo Caldaei, modo Syrii, modo AEgyptii imperium habuere, non defuerunt in Hebraico populo sacerdotes, qui suis alter post alterum jura reddiderunt, sicut in Esdra & Machabaeorum libris obsignatum est; & ab unius sacerdotis imperio Judaica res pependit. Rediit & regia potestas Romanis in amicitiam accersitis. Exinde Tetrarchae sub magno Pompejo & usque ad Salvatorem Christum pars Judaeorum regibus paruit, pars pro-

curatoribus e Roma missis, semper tamen qui divinae legis curam haberet, ac sacris praeesset, unus summus pontifex ac maximus habitus est, quem nunc divinum oraculum, nunc electio Levitarum, nunc regia potestas instituit. Quibus ex rebus plane cognoscimus divinam esse voluntatem ut quemadmodum superiora unius arbitrio reguntur, ita & inferiora disponantur, quod est profecto salubrius & pulcherrimum regimen, nec pacis bonum [quod omnes appetunt] inveniri atque inventum servari potest, nisi ad unitatem suprema potestas redeat. Sed vertunt in dubium aliqui an penes sacerdotes haec potestas, an penes laicos investiganda sit. Nam veteris testamenti pagina nunc reges, nunc pontifices praeferre videtur Sed exploratissima res est, primum ac summum judicium ad sacerdotes pertinere postquam sacerdotem maximum Moyses ordinavit. Et quanquam majus imperium fuisse Moysi, quam Aaron videatur; nihil tamen sacerdotali potestati detrahitur. Nam & sacerdotem fuisse Moysen apud regium prophetam scriptura testatur, dicens: *Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus*. Invenimus praeterea sacerdotes ac prophetas jussu Domini saepe reges deposuisse; ipsis autem regibus in sacerdotes Domini concessam potestatem non reperimus, quamvis creandi pontifices nonnunquam sibi licentiam usurparunt. Oziam vero lepra percussum legimus, qui se sacris immiscere prohibente pontifice non erubuit. Ad Hieremiam vero sacerdotem ac prophetam apertissima verba legimus, summam concedentia potestatem: *Ecce enim dicit Dominus ego hodie constituam te super gentes & super regna, ut evellas & destruas & disperdas & dissipes & aedifices & plantes*. In Deuteronomio quoque jubet Dominus in difficilibus causis Levitici generis sacerdotes adiri, & morte multari, qui summi sacerdotis imperio non paruerit. At ne quis dubitet in summo sacerdote potestatem maximam esse, vox Domini ad Moysen facta est, cum sibi successorem constituerat. *Tolle*, inquit, *Josue, filium*, nondum virum, *in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum, qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine & dabis ei praecepta cunctis viden-*

dentibus, & potestatem gloriae tuae, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel; pro hoc si quid agendum erit Eleazar sacerdos consulet Dominum; *ad verbum ejus egreditur & ingreditur ipse & omnes filii Israel & caetera multitudo.* Quibus ex verbis liquido constat etiam ex veteris testamenti pagina supremam potestatem penes sacerdotes fuisse; etsi aliquando reges temere de pontificio & summo sacerdotio judicarint. Quae res apud christianos longe clarior est, quibus sacrosanctum Evangelium certa norma & infallibilis regula est; legimus enim in evangelio Salvatori Jesu Christo omnem potestatem datam esse in coelo & in terra. Si enim omnis potestas tributa est; igitur & regia, qua etiam usus est cum ementes & vendentes ejecit de templo, & cathedras nummulariorum evertit. Hanc autem potestatem discipulis suis, idest sacerdotibus communicavit, dicens: *Quemadmodum misit me pater; ita & ego mitto vos.* Et iterum: *Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quodcumque ligaveritis super terram, ligata erunt & in coelis.* Quae cum ita sint unum tamen omnibus praefecit, & principem aliorum constituit Petrum, ei tantummodo dicens: *Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam;* &: *Tibi dabo claves regni coelorum;* &: *Pasce oves meas;* & reliqua, propter quae vicaria potestas designatur. Petrum autem & alios Apostolos fuisse in ultima coena ab ipso Domino constitutos exploratum est. Ob quas res manifestum est supremam potestatem apud unum in terris esse debere, eundemque sacerdotem. Sed rursum haesitatum est, cujus ecclesiae pontifex hac dignitate fruatur, quod apud occidentales in dubium verti non potest; nam sive Italos, sive Gallos, sive Hispanos, sive Germanos, atque Britannos animo volvimus, omnes se Christum colere, & sacramenta fidei recipere, & portam coeli noscere a Romana Ecclesia didicerunt; quocirca superioritatem ejus & magisterium negare non possunt. Graeci, quoniam Doctore Paulo & Andrea magistro fidem susceperunt, propter imperium Constantinopolitanum aucti potentia, adversus Romanam Ecclesiam insolescere coeperunt. *De Andrea sub judice lis est.*

Asiani quoque ab Apostolis Evangelium docti Romam aliquandiu contempsere. Sed non est aliqua humana ratio vel auctoritas, quae divinam possit infringere voluntatem ab ipso Christo per verba quae retulimus Petro dicta Romanae primatus Ecclesiae datus est, & ipsius magni Dei vicaria potestas est credita. Quicumque igitur Romanae praesidet Ecclesiae, hic magister est fidei, hic pastor ovium, divinae legis interpres, & totius christiani populi caput; huic parere omnes oportet, qui aeterni poenas incendii fugere, & cum beatis Apostolis, ipsoque Salvatore Christo regnare cupiunt. Haec nunc potestas ad nos delata est, indignos quidem, qui tam sublime solium teneremus. Sed quanto est nostra humilitas inferior, tanto est ejus gloria sublimior, qui nos huc evexit. Fatemur, si quis nos nostraque respiciat, nihil esse in nobis praeter carnem peccatis plenam; si quis vero pensitet quae in nobis operatus est Deus, & hujus loci, quem tenemus, dignitatem animo volvat, concedendum est nullam esse in terris potestatem, quae nostrae idest Christi & B. Petri Apostoli non subiiciatur auctoritati. Ob quam rem dignum laude censemus charissimum in Christo filium nostrum Henricum Castellae & Legionis regem illustrem, qui ad nos hodie per vos oratores recurrens in persona nostra Christi Vicarium veneratur, & Romanae primaeque sedi suum impendit honorem; neque ille illos audire voluit qui eum in diversa trahere conati sunt. Novit sapiens princeps extra viam salutis incedere, quisquis apostolicae sedis mandata contemnit. Voluit majorum suorum vulgatum iter tenere, & a matris uberibus noluit separari. Studuit, sicut amplissimo dominio est potens, ita & fide clarus haberi. Non est parva gloria Romanae sedis tanti regis obedientia, qui latissimis ac potentissimis regnis imperat, ac ditissimas regiones & feroces in armis gentes potestate coercet. Magna ejus nobilitas est, qui Gothorum sanguine cretus, qui octoginta circiter successiones rex ex regibus ducit originem. Praestat & ipse virtute, belli domique clarus & in commune bonum affectus; qui non solum Saracenis vivificae crucis hostibus sollicito studio

bel-

bellum infert; Turcis quoque longe positis quo pacto resistat anxius est. Nos regis hujus devotionem admodum commendamus, obedientiam ejus laeto amplectimur animo, & quae pro defensione fidei offert non recusamus. Precamur pium Deum hanc ejus mentem custodiat, & illum benignis oculis semper intueatur: Nos quidem cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sibi semper & suis faventes erimus ac benigni.

AD ALBERTUM MARCHIONEM BRANDEBURGENSEM.

Ex Lucensi Cod. ed. est a me in Supplem. Concil. to. V. p. 303.

Advenisse te citius, dilectissime fili, & optavissemus quidem, & rebus gerendis nostro judicio non parum conduxisset; sed curasti ne bellum civile inter Alemannos exoriretur: non minus reipublicae profuisti, quam si hic affuisses. Venisti tamen modo, & omnes difficultates superasti; nulla te potuerunt impedire impedimenta, quominus desiderio nostro satisfaceres. Neque fluminibus, neque montibus vera charitas retineri potest. Et praesentia tua, & verbis tuis mirum in modum nos recreas. Probamus quae tuo nomine dicta sunt, & consilia tua non aliter quam viri prudentis, & qui multa viderit & probaverit amplectenda esse ducimus, de quibus tecum seorsum agemus Verum quia natio Germanica, ex qua tu ortus es, inclita & potens in expeditionem contra Turcos obeundam duo & XL: millia pugnatorum christianae religioni pollicita est, duo necessaria esse videmus. Unum ut pax Norimbergae proximo anno composita, stabilis sit, & nihil novi dissidii suboriri sinat; neque enim aliter educi exercitus posset. Alterum, ut ad cogendas copias ingens studium & diligentia solers adhibeatur. Utrumque in te situm est; si voles, pacata erunt omnia, nec deerit validus contra Turcos exercitus, ubi tua solertia incubuerit. Novimus studium & diligentiam tuam; omnia fiunt quamvis difficillima, ubi tuum animum intenderis. Age igitur, erige mentem, & his te rebus accinge, quae te possunt beatum & immortalem reddere. Multa hactenus bella gessisti; in Franconia, quae tibi patria est; in Misna, in Saxonia, in Bohemia, in Slesia, in Polonia, in Hungaria, in Austria, in Bavaria, in Svevia: nulla regio in Germania est tui non plena sudoris; a teneris (ut ajunt unguiculis) versatus in at-

armis adeo clarum gessisti militem & dein ducem, ut non ab re Theutonicum te Achillem quidam nominaverunt. Tulisti saepe optima ex hoste spolia; saepe vallum, saepe murum primus hostilem ascendisti; erexisti pluribus in locis victoriarum trophaea, & ex manibus hostium tua templa ditasti. Si cujuspiam nostri temporis viri victura est fama, tua profecto victura est; injuriam enim scriptores tuo nomini fecerint, nisi te priscis aequaverint, quos Graecia & quos Roma miratur, belli ducibus. Verum quamvis te justa sequutum bella putemus, inter christianos hactenus praeliatus es, quod difficile sine peccato fieri potest. Saepe innocens sanguis effunditur, interveniunt puellarum & nuptarum rapta. Dum superbit impius, incenditur pauper, diripiuntur Ecclesiae, monasteria incenduntur, divina & humana miscentur; apud victorem raro moderatio magis quam libido vindictae potest; multa urgent conscientiam tuam; (non dubitamus) non potuisti non laedere multos. At haec expiare Turconico bello facile poteris; pugnasti pro mundo hactenus, pugna nunc pro Christo; pugnasti pro corpore, pugna nunc pro anima; pugnasti pro fragili & caduca gloria, pugna nunc pro immortali & aeterna laude. Exerce te in hoc bello, in quo possis omnes veteris culpae maculas expurgare, & te gratum creatori tuo reddere. Age, amplectere volenti animo hanc expeditionem, in qua si te armatum esse senserimus, magnam victoriae fiduciam capiemus; nam te alterum in praelio David futurum speramus, de quo canebant quod Saul mille & David decem millia stravisset hostium. Tua persona pro magno nobis erit exercitu, & in te alterum Judam Machabaeum, aut alterum Samsonem esse censebimus. Confortare igitur & esto robustus, & cum redieris ad fratres tuos Germaniae proceres, stude, ut sedatis domesticis contentionibus, si quae pullulant, exercitus, qui promissus est, in Germania confletur, & in hostes ducatur. Reliqua Dominus Deus pro sua misericordia felicia esse praestabit. Amen.

ORATIO

Devotissima doctissimae Hippolytae Francisci Sfortiae filiae Ducis Mediolani ad Sanctissimum Papam Pium.

Vulgavit Hieronymus Gigli in suo Diar. Senensi par. 1. pag. 70.

Tantam esse hujus Sanctissimae Sedis auctoritatem, Beatissime Pater, saepius audivi, ut nemo unquam, quantivis ingenii, eloquentiae, dignitatis, illam oratenus se legerit, quin trepidus Oratoris officio functus sit. Nil mirum igitur, si cui aetas, sexus, imbecillitasque ingenii pudorem, pariterque verecundiam afferunt, apud te praesertim, qui gravissimorum omnium consensu doctissimus, atque sapientissimus judicaris, rubore suffusa, non modo te alloqui, sed nec firma quidem oculorum acie, tuam audeam suspicere Sanctitatem. Vere quidem, & accepi pariter te felicitate, summa humanitate, benignitate, & clementia praeditum, verecunde, ac trepide injungat; & quod parentum exequi jussa sanctissimum arbitror, etsi verecunde, ac trepide injunctum mihi dicendi munus aggrediar, adventus nostri causam premunt. Dehinc devotionem, tandem desiderium, vel brevissima oratione explicatum. Ubi enim accepimus Beatitudinem tuam in hoc amplissimum solium sublimatam, tanta repente inclitos parentes meos, universamque familiam voluptas invasit, ut nusquam posse nobis quidquam propius ad felicitatem accedere existimaremus, tum ad ingentem familiae nostrae spem, tum vel maxime ob publicam christianae religionis utilitatem, quippe qui . . . ' quodam ad regendum periclitantem, ac pene submersam Petri naviculam Coelo demissum esse arbitramur. Te enim non favoribus, aut gratia, sed virtute summa, atque sanctimonia in tanto christianae rei discrimine optimum gregi dominico Pastorem datum esse non ab re

Sensus turbatus.

re judicat. Sed quid ego laudes tuas attingere audeo, ut scilicet cui res illas, ac pene divinas, & aereas, ut luteas verbis inconditis meis, ac puellaribus reddam? Cum igitur audivimus in hanc urbem tuam proficisci sanctitatem, instituerant quoque & ipsi parentes mei te coram venerari, colere, & adorare; & ipsa quoque, quod mihi facultas data fuerit hos beatissimos pedes osculari felicitatem mihi natam puto. Et quoniam Salvatoris nostri vicem geris in terris, multam tibi mortales reverentiam debent, multamque obedientiam exhibent: id tibi persuadeas oro, neminem pro tua ac Sanctae Romanae Ecclesiae dignitate, aut bono vehementiori studio, ardentiorique desiderio, observantiorem parentibus ipsis, promptioremque fore. Ego vero cum fortunarum nihil habeam proprium, voluntatem, quae libera est, tuae devoveo, & dedico Sanctitati. Reliquum est, ut illustrissimos genitores meos, germanos, me, remque omnium nostrorum faciam his tuis Sanctissimis Pedibus commendatos.

RESPONSUM

Sanctissimi Domini Nostri Papae Pii.

HAbuisti, dilecta Filia, coram nobis orationem elegantem, tersam, & jucundissimam. Admiramur te, ingenium, & virtutem tuam. Gaudeat Mater tua praesens, & Pater tuus absens, qui te talem genuerunt parentes. Quod nos tantopere super veritatem laudas, tuae benevolentiae adscribimus; quod parentes parcè laudasti, tuae modestiae attribuimus; quod autem nobis devoti sint, devotioni eorum Nos, & hi Reverendissimi Fratres nostri, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales abunde respondemus. Tibi vero Deus benedicat, & nos benedicimus. Amen. *Apud Mantuam in Generali Concilio.*

ORATORIBUS

Imperatoriae Majestatis.

Ex Lucensi Codice.

FAbricator Mundi, naturaeque parens, Deus, cum primum coelum conderet, duo luminaria magna in eo constituit, Solem ac Lunam, & alterum diei praefecit, alterum nocti. Per solem prisci auctores Romanum Pontificem, per lunam imperium designari putaverunt, & pontificio quidem animas hominum; imperio subjici corpora tradiderunt. Hinc dignitates inter se comparatae, & quantum altera praestaret alteri quaesitum. Illud quoque in dubium versum, an penes sacerdotium utriusque gladii potestas inveniretur. Sed aufert omnem ambiguitatem sacra Evangelii lectio, quae Christo Domino omnem traditam esse potestatem in coelo & in terra confirmat; Christum vero suas vices beato Petro aeternae vitae clavigero commisisse, non est ambiguum. Duos quoque gladios in comitatu Salvatoris fuisse, idest in sacerdotio, palam est: per quos summam auctoritatem apud summum esse pontificem designatur. Nec contrarium est quod nonnulli adducunt de Jesu, quod B. Petrum in periculosa nocte gladium suum materialem in vaginam recondere jussit; non enim suum esse negavit, sed suum dixit, ac si non sua manu, sed suo jussu exercendum ostenderet. Quemadmodum devotissimi doctoris Bernardi sententia est. Sed plura in hunc modum superioribus diebus praefati sumus; non est cur hodie circumstantium aures de summi praesulis auctoritate fatigemus.

De Romano Imperio, cujus nunc oratores audivimus, subnectere aliqua non fuerit alienum. Historici quatuor orbis imperia magni faciunt, Assyriorum, Graecorum, Carthaginensium, & Romanorum. In ultimo po-

testas major & altior gloria fuit. Ita & ultimum ex Romanis ad Graecos, ex Graecis ad Germanos translatum est. Qui alias translationes ponunt in errore sunt. Bis Graeci imperium habuere, semel suo nomine, semel Romano titulo. Quod vero Graecorum fuit, nunquam Romae imperavit Romani vero & Graecis, & Assyriis, & Carthaginensibus jugum imposuere. Ob quam rem non immerito a Daniele propheta ferro comparatum est. Nam sicut metalla reliqua ferro atteruntur; sic & imperia quaeque Romanae virtuti concesserunt. Hoc imperium multifariam multisque modis in Evangelio & approbatum & honoratum legimus. *Exiit edictum*, inquit Evangelista, *a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis*. Quae vox ostendit imperatorem orbis fuisse dominum, sicut jurisconsultorum sententia est. Sub Augusto quoque Salvator nasci & censeri voluit, nec recusavit tributum, quamvis non teneretur, solvere. Approbat & jura imperii dicens: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari, & quae sunt Dei Deo*. Et ad Pilatum, sub quo passus est: *Non haberes super me potestatem ullam, nisi tibi datum esset desuper*. Apostoli ejus, Petrus & Paulus, qui regem honorandum affirmarunt, de Romano imperatore loquuti sunt, quem tunc pro rege habuerunt. Et quamvis essent nonnulli Caesares christianae fidei persecutores, pro incolumitate nihilominus Romani imperii sancti Patres assiduas Deo preces obtulerunt, non dubitantes, eo stante, praeclusum esse Antichristi adventum. In qua sententia Tertullianus fuit & Aurelianus; Cyprianus & Augustinus; sic enim verba Doctoris gentium interpretantur: *Qui tenet teneat, donec de medio fiat, & tunc revelabitur ille filius iniquitatis, quem Dominus spiritu oris sui interficiet*. Huc & prophetae regii verba trahuntur: *Et erit abundantia pacis, donec auferatur Luna*. Neque enim secundum illos prius incipient Antichristi perniciosa tempora, quam Luna, idest Romanum imperium, annihiletur. Latissimus ad dicendum campus si quis imperii laudes celebrare voluerit. Nos haec praeclaris & otiosis ingeniis relinquenda putamus. Illud fatendum est, antecessores nostros, Romanae urbis anti-

stites,

ftites, Romanos Imperatores fummis honoribus profequi confueviffe. Verum fi quis in hoc folio unquam fedit, quem Caefareum nomen extollere, atque magnificare deceat; nos illi fumus, qui ab imperatore Friderico privatim, & publice plura confequuti fumus beneficia quam referre poffimus. Fuimus enim longo tempore in ejus aula priufquam facris initiaremur. Secretariatus officium apud eum geffimus. In confilio eius confcripti [1] plures legationes obivimus. Potuiffet imperator aliis hominibus & prudentioribus uti & doctoribus, nobis tamen uti voluit. Hinc nos aucti ad epifcopalem dignitatem, ac cardinalatus eminentiam provecti fuimus.

Nihil de fummo pontificatu dicimus; illum enim pius, & prudens Deus fuo refervavit arbitrio, & fuum judicium nobis incognitum cui vult, credit. Scalam tamen ad hoc folium afcendendum honores ab imperatore recepti nobis non parvam praeftiterunt. Atque haec inter alia multa private; publice vero ab ea confequuti fumus, quaecumque Romanae fedi fuo tempore fuoque ftudio bene atque utiliter venerunt. Atque in primis ecclefiafticam pacem ab eo recognofcamus oportet. Nam fi Germania, provinciarum latiffima, & optimis referta viris fub Eugenio IV. praedeceffore noftro depofita neutralitate ad hujus S Sedis pleniffimam obedientiam rediit, non eft quod alteri acceptum referatur quam Friderico, qui fubditorum fuorum emollivit animos. Si fchifma teterrimum fub Nicolao V. extirpatum eft; Friderici magna ex parte opera fuit, qui congregationem Bafilienfem diffipavit. Si praeventa, & impedita funt nonnullorum principum confilia [2] Sedi Apoftolicae perniciofa fub Callifto III. non alium laudare, quam Fridericum debemus, qui non modo illis affiftere noluit, fed eorum conatus fummo ftudio perturbavit. Nobiliffimus certe & piiffimus Imperator, cujus religionem, juftitiam, manfuetudinem, clementiam. reliquafque virtutes nulla fatis noftra oratio explicaverit Audivimus vos oratores fuae manfuetudinis admodum libenter, quamvis de laudibus noftris nimis profufe loquuti eftis; novimus ipfi noftram imbecillitatem, & cum aliorum verbis extollimur

in

in animo noſtro dejicimur; haud ignorantes tacite reprehendi, qui pro dotibus ſibi debitis, quas non habet, celebratur. Oblectavit nos verborum ornatus, & ſententiarum gravitas. Devotionem & obedientiam chariſſimi filii noſtri Romanorum imperatoris ac regis, & quae nobis offert in expeditionem contra Turcos obeundam, & conſilia ejus grato complectimur animo. Quod citius legationem non miſerit haud ſine cauſa factum arbitramur. Quod inclitum Hungariae regem per electionem procerum ac baronum quem retuliſtis ſibi delatum acceptaverit, confidimus non ſine urgentibus rationibus factum eſſe, nec majeſtatem ejus quidquam temere feciſſe putamus. Precamur pium & optimum ac maximum Deum, ut hoc novum ſuae ſerenitati, Apoſtolicae Sedi & univerſae reipublicae chriſtianae felix & fauſtum ſit. Nos ſuae manſuetudini ſuiſque commodis & honoribus cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, quantum cum Deo poterimus, ſemper faventes erimus ac propitii.

In

NOTAE

In Responsum Oratoribus Imperatoriae majestatis.

1. IN consilio ejus conscripti plures legationes obivimus. *Haec Pii dicta illustrat Gregor i Z. lii epistola ad Card. Papiensem inter epistolas ejusdem Cardinalis 47.* Princeps imperii factus, primus sententiam dicere rogabatur.

2. Si praeventa & impedita sunt nonnullorum principum consilia. *Nicolao V. ad superos redacto, ac Callisto III. in Petri Cathedram assumpto, Austriales quidam in Caesaris aures insusurrabant venisse tempus, quo Germanorum postulata nunquam antehac obtenta iterum inculcarentur, negandamque novo Pontifici obedientiam, nisi iis petitionibus acquiesceret; sed pro Pontifice agente Pio, atque opportuna Ecclesiae consilia suggerente, vicit apud Caesarem in religionem obsequium, misitque AEneam, ut novo Pontifici de more observantiae suae praeberet argumenta. Vide Gobelin lib. 1.*

AD

AD ORATORES

Marchionis Montisferrati.

CLarae, atque illuſtres familiae in Italia non paucae ſunt; an vero antiquior ac nobilior ulla ſit ea quae Montisferrati appellatur, & quae nobis hodie, more majorum, obedientiam praeſtat, haud quaquam exploratum habemus. Pervetuſta eſt haec domus & in hiſtoriis late vulgata. Poſtquam Chriſtiani exercitus pro recuperatione Terrae Sanctae congregari coepere, vix aliquid ſine Marchionibus Montisferrati geſtum eſt memoria dignum. In Graecia, in Aſia, in Syria, in inſulis interjacentibus, clarum nomen hujus proſapiae habitum eſt; fortes enim viros & pro chiſtiana religione attentiſſimos ſolita eſt producere. Et hic modo, qui caput gentis eſt, a progenitoribus ſuis minime degenerat; in armis ſtrenuus, in conſilio providus, juſtitiae tenax & religioni zelantiſſimus. Cujus cauſa & vos praeſtabiles oratores ſuos obedientiam praeſtaturos ad nos miſit, haud ignarus, quia omnes reges, omnes principes terrae venerari ſanctam Romanam Eccleſiam, eique colla ſubmittere debent, ſi ſalvi eſſe volunt. Facit princeps veſter quod ſui officii eſt, & quod ſuam nobilitatem decet. Commendamus fidelitatem ejus ac devotionem, dignumque ipſum eſſe fatemur, quem nos & noſtri ſucceſſores accepriſſimum & commendatiſſimum habeant; quod nos ſane vita comite minime negligemus.

ORATORIBUS

Bavariae Ducis, Marchionis Brandeburgensis, & Austriae Ducis.

SI sacrosanto credimus evangelio, quod divinum oraculum esse constat; si sanctis doctoribus fidem habemus, qui tanquam sol & luna Ecclesiam illustrarunt; si denique christiani simus quo nomine gloriamur ac salvamur; necesse est unam in terris potestatem fateamur a summo Deo concessam, a qua reliquae omnes dependeant; hanc vero apud Romanum praesulem inveniri ex ordinatione Salvatoris Christi, qui Petrum Apostolorum principem & vicarium divina voce constituit, cui pascendi suas oves, & aperiendi claudendique portas Coeli curam & potestatem commisit. Hic post Ascensionem Domini prius in Antiochia septem annis plebem docuit, ubi primum christiani nominis appellatio audita est. Exinde Romam se contulit; sed persecutionem infidelium veritus fugam arripiens, non procul ab Apia porta Salvatorem obvium habuit, quem cum interrogasset: *Domine, quo vadis?* & ille respondisset: *Vado Romam iterum crucifigi*; intellexit S Apostolus voluntatem esse divinam ut Romae moreretur. Reverso igitur ad urbem, sub Nerone saevissimo imperatore passus est, atque una & eadem die cum B. Paulo, ejusdem fidei professore, martyrio coronatus est, & suo sanguine Romanam consecravit Ecclesiam. Hinc primatus & auctoritas summa Romani solii. Nam quod Petrus hoc & successores fuere; impares aliquando meritis, potestate semper pares. Successio vero etsi multifarie multisque modis apud veteres concessa est, ad extremum tamen in melius reformato reipublicae statu ex cardinalium arbitrio pendere coepit, qui postquam

vacante ſede in unum aliquem duarum conſenſu partium conſenſere Romanum praeſulem & indubitatum Chriſti vicarium efficiunt. Non hic generis obſcuritas obiici poteſt, non ignorantia canonum, non religionis nexus, non conjugii ligamentum, non prioris vitae lubricitas, papa eſt quemcumque cardinales elegerunt, ſi modo fidelis eſt; haereticus autem & infidelis, cum ſit extra Eccleſiam, caput Eccleſiae eſſe non poteſt. Cum igitur venerabiles fratres noſtri unanimi conſenſu nos in ſummum pontificem elegerunt, qui divinis Chriſti ſacramentis ſumus imbuti & evangelium ſacroſque canones & generalium conciliorum decreta veneramur, & catholicam fidem uſque ad ſanguinem & animam tueri proponimus; non eſt dubium quin noſtris juſſionibus in aedificationem eccleſiae manentibus parere omnis oporteat, etſi ſumus aliquando indigni hoc tam ſublimi honore.

Perſuaſa ſunt haec jampridem dilectis filiis noſtris, quorum & apoſtolicae ſedi hodierna die obedientia praeſtita eſt. Clari & potentes hi principes ſunt. Fridericus comes Palatinus, dux Bavariae, princeps elector in armis exercitatus, animi & dotibus corporis excellens. Non eget laude noſtra, quippe qui generis claritudine & propria virtute apud omnes ubique gentes late cognitus eſt. Alter Fridericus Marchio Brandeburgenſis & ipſe quoque imperii elector optimis praeditus moribus, clarum tota Germania nomen habet, cujus in primis illud moderationis ſuae illuſtre praeconium fertur, quod vocatus in regem a Polonis regnum recuſavit, quod jure gentium per ſucceſſionem alteri deberetur. Albertus, Auſtriali natus proſapia ex qua quinque imperaverunt, Friderici Caeſaris germanus eſt, magnanimitate ac liberalitate inſignis, & ad grandia quaeque negotia cupidus atque aptus. Secundus Albertus Friderici Marchionis germanus eſt, de cujus praeſtantia tacere conſultius ducimus, ne modum reſponſionis excedamus. Illud tamen referre non piget, plura hunc geſſiſſe praelia, plures ex hoſte victorias reportaſſe, quam credibile cuiquam videatur; ob quam rem cum inter Germanos ageremus in minoribus conſtituti, Teuthonicum eum appellari.

Achil-

Achillem a nonnullis rei militaris peritissimis audivimus. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Tribulat & angit nos Turcorum feritas, qui dies noctesque christianos per Graeciam, Illyrium & Hungariam constitutos durissimis affligunt cladibus. Sed ecce parte altera magnanimos duces sua opera, sua auxilia, sua consilia offerentes. Hinc nobis solamen oritur, & spes datur, qua tandem aliquid efficere possimus ad tutelam christianae plebis, & divini nominis laudem. Nam hi principes potentissimi sunt Bavariae, Austriae, Sveviae, Franconiae ac Saxoniae magna ex parte imperantes. Faciat divina pietas ut propositum teneant, & in tam necessario negotio non desint. Nos & ipsis & eorum liberis, amicis, propinquis & omnibus subditis semper favorabiles inveniemur, & ad gratiam proni.

ORATORIBUS

Ducis Sabaudiae in Conventu Mantuano.

(a) ſ. *veſtrum.*

QUamvis non ſine magna cauſa, Oratores Sabaudienſes, adventum *noſtrum* (*a*) in hanc uſque diem fuiſſe dilatatum arbitramur, fatemur tamen, incuſavimus ſaepenumero principem veſtrum, & alios, qui nondum miſere legatos ſuos in tanta neceſſitate Reipublicae Chriſtianae. Audiunt omnes, vident, palpant Evangelium Chriſti peſſum ire; nec tamen de remedio cogitant; omnes ignoſcunt & nemo ſuccurrit; expectare periculum quam vitare malunt. Pudet dicere, dicendum eſt tamen: longe major eſt Turcis, Saraceniſque ſuae ſuperſtitionis propagandae, quam nobis Sacratiſſimae Religionis noſtrae tuendae diligentia. Illi, ſi uſquam vexantur, ſocii praeſtò adſunt, & turmatim occurrentes hoſtes expellunt; nos Graecos, Albanos, Raſcianos, Valachos, Hungaros in mediis diſcriminibus ſine ullo ſubſidio relinquimus. Sed hic ſumus, ut de commune tandem ſalute cogitemus. Veniſtis vos Sabaudienſes, venerunt & alii complures. Quiſque pro ſua virili magnificè ſe offert: ſi reſpondebunt verbis facta, non carebit magnificis adjutoribus chriſtiana religio. Hoc opus, hic labor eſt. Stat Deus contra quemque vocitans. Si ego pater ubi amor? Si ego Dominus, ubi timor? Sunt plurimi, qui Deum labiis honorant, corde autem ab eo longe diſceſſerunt. Sed nihil fictum ſtabile, nihil ſimulatum poteſt eſſe diutinum. Quae fiunt in veritate, & veniunt ex corde perfecto, non timent caſum; fundata enim ſunt ſupra firmam petram, ideſt ſuper veritatem, quae Chriſtus eſt. *Petra autem erat Chriſtus*, inquit Apoſtolus. Verba veſtra, Auditores Sabaudienſes, arbitramur ex puro corde deprompta eſſe, & talem eſſe

prin-

principis vestri animum, qualem expressistis. Expectamus nunc, ut magnificis sponsionibus vestris magnifica facta respondeant, cujus rei & nobilitas, & pietas & religio vestri principis spem nobis quodammodo certam praebent. Ad reliqua per vos dicta alia hora, & alio loco respondebimus.

Ad eosdem in eodem Conventu.

SAtisfacit abunde nobis dilectus filius nobil vir Ludovicus Sabaudiae Dux, qui cum per valetudinem huc accedere non posset, charissimum filium suum, nobile pignus, egregium adolescentem, & vos praestantes oratores ad consulendnm reipublicae christianae transmisit. Videmus laeto vultu, & alacri animo. Idem faciunt Venerabiles, &c. Idem tota concio. Verba vestra doctrinae & sapientiae plena fuerunt. Videmini a sapiente principe missi; magna ex dictis vestris documenta recepimus, quae vobiscum & cum caeteris, qui ad hanc rem vocati sunt conabimur persequi. Magnificas oblationes vestras laudamus & amplectimur; dignae sunt quas Sabaudiensis domus efficiat, quae regium & imperatorium sanguinem per se ferens, non potest nisi magna & regia polliceri. Dignus est princeps Sabaudiensis quem cuncti ament, maximè verò Apostolica Sedes; quod quidem, vita comite, a nobis non negligetur.

AD

Ad Conventum Mantuanum.

Edita in Opusc. Leodrisii Cribel de exped. Pii II. in Turcas. Hic datur ex MS. Cod. Lucensi

MAgna pars vestrum, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, dum Romae adhuc ageremus aliunde causas intellexit, propter quas in hac urbe Mantuana christianorum regum & populorum conventum indiximus, easdem nunc omnes a venerabili fratre nostro Episcopo Coronensi, qui publicè peroravit, plenius intellexistis. Publica nos traxit necessitas, utinam utilitas sequatur, quam speravimus. Pauci adhuc venerunt ex his qui vocati sunt. Ita natura *compertum* (a) est. Non est hominibus ea publici boni cura, quae privati. Omnes quae sunt sua diligenter *quaerunt* (b), pauci quae Jesu Christi. Non tamen abiicienda spes est. Jactemus cogitatum nostrum in Domino, & ipse nos enutriet. Hoc opus Dei est quod coepimus; opem ejusdem devotissimè imploremus: non deerit invocantibus se divina miseratio. Si non assunt quos vocavimus, dolemus quidem: at tempus adest, venire adhuc possunt, & venient, ut in Domino Deo nostro piissimo confidimus. Expectandum est donec sciamus, quae tandem sit regum & populorum Christi cultorum cogitatio atque sententia. Si venerint qui rebus gerendis consilio, & auxilio esse possunt, prosequemur alacri & magno animo coeptum negotium; nec ambigimus quin, opitulante divina pietate, christianam religionem ab hostili vexatione magnificè defendamus. Sin minus, quod magni Dei bonitas avertat, intelligent omnes potestatem nobis bene gerendae rei non voluntatem defuisse. Vos interea monitos atque oratos volumus, ne taedeat in hoc loco moram trahere, & si quae sunt incommoditates aequo animo perferre. Nam cum sitis sal terrae, & lucerna supra candelabrum posita, condimentum omnibus esse debetis ad bene *agendum* [c], & cunctis lumen ad *veritatem* [d] praebere: qui sunt in domo Dei, idest in Ecclesia D. N. Jesu Christi Apostoli Dei sua corpora tradide-

(a) Edit. *comparatum.*

(b) Ed. sua. *quaerunt.*

(c) Ed. *gerendum.*

(d) Ed. *ad virtutem.*

diderunt, & animas suas posuere, ut secundum Christi Evangelium, salutaremque legem huic mundo praedicarent, atque n'e e ent, & nos pro suscepta majorum fide, atque religione tuanda, aut labores vitabimus, aut sumptus? Imitemur eos, quorum tenemus locum, nec gravemur pecunias, rem vi'e n, exponere, qui pro Christi nomine teneamur sanguinem effundere. Nos certè huc venimus nullam privatam ob causam, nullum quaerimus proprium emolumentum; ut ab initio diximus, salus reipublicae nos traxit. Venimus non sine gravibus incommodis, & periculis terrarum ecclesiae, neque sine offensione nostri corporis. Si qui adsunt legati principum, aut civitatum ad res gerendas mandatum habentes, audiemus eos, & cum eis conferemus; nos nullam viam adhuc suscepimus, neque hunc aut illum procedendi modum aggressi sumus. Libet omnium audire consilia, res diligenti examine discutere, & quod majori & saniori parti placuerit id prosequi. Si reperiemus principes ad rem hanc idest ad defensionem christianae religionis intentos, invenient & ipsi Romanum praesulem pro communi utilitate ardentissimum. Quicquid nostrarum virium erit ad hoc salutare opus conferemus: nec sumptus fugiemus, neque labores. His nunc paucis contenti sumus, alio tempore cum plures aderint, pluribus *utemur*. (*e*).

(*e*) Ed. *agemus*.

AD

Ad Oratores Imperiales.

EXposcebat haud dubie res quae hoc in conventu geritur imperatoriae majestatis praesentia: siquidem fides ipsa catholica & orthodoxa tuenda proponitur, cujus protectio ad eum pertinet, qui gladium portat ad vindictam malorum, laudem verò bonorum; sed non tulerunt tempora & rerum conditiones Caesarem ex patria sua recedere. Ideo vos missi estis, praestantissimi & insignes oratores, non equidem indigni, qui tanto in consessu vices Caesareas impleatis, sive dignitates vestras, sive praecipuas dotes metimur. Novimus jampridem quemque vestrum, & singulari benevolentia prosequuti sumus cum in minoribus ageremus. Gratias Caesari agimus, qui vos misit, nobis ex omni parte charos acceptosque. Non attingemus cunctas orationis vestrae partes; praeteribimus laudes nobis attributas, quae conscium suae parvitatis pectus nihil extollunt. Praeteribimus alia multa sapienter, & ornatissime dicta. Duo tamen non possumus non refricare; alterum est in Turcos de bello gerendo; alterum de laude Caesaris. In Turcos sumenda esse arma omnes fatentur; at quibus potissimum hominibus hoc ipsum incumbat nemo dicit. Dicemus hoc nos, si non ornate, at liberè & verè; nec putamus nos quemquam offensuros veritatem dicentes, quamvis in proverbio est: obsequium amicos, veritas odium parit. Quippe cogitantibus nobis saepenumero cui potissimum nationi contra Turcos expeditio debeatur, quamvis nemo Christianus immunis esse debeat; quatuor tamen causae occurrunt, quae nationi Germanicae hoc belli onus, sive honorem ipsis demandant. Prima est necessitas: secunda auctoritas est: tertia facultas; quarta invitatio majoris vicinitatis, quae vobis cum Turcis est; *duo facit* (a): nam & timere nos cogit, ne superatis Hungaris, qui medii sunt in-

(a) *sic*.

inter vos & illos, res vestrae pereant. Est enim planum iter, & facultatem praebet ducendi copias in hostes; per Danubium enim a minori usque in superiorem, & in feriorem Misiam, quam Turci possident, milites vestros navibus transvehere potestis. Et ratione igitur imperii vestri tuendi, & ratione propinquitatis & facilitatis conveniendi cum hoste primae belli partes in Turcos ad Germanos pertinent. Is enim primus ad restinguendum ignem exurgere debet, quem propria incendia tangunt. Succedit loco secundo auctoritas & dignitas nationis; nam cum imperialis gloriae culmen apud vos sit; cujus est Ecclesiam Dei protegere, fidem defendere, religionem augere; quis non intelliget ejus belli, quod pro fide tuenda suscipitur, eos duces, eos vexilliferos, eos imperatores esse debere, apud quos est insigne victricis Aquilae, & nunquam violanda majestas? His conjungitur facultas belli gerendi; neque enim inerme vobis imperium, aut regnum pauper. Longe lateque patet Theutonica natio, dives agris, armis, equis, viris, & inexhaustis argenti metallis opulenta; & ubinam gentium nobiliores, aut potentiores familiae, quàm in Germania? ubi splendidiores, ditiores, munitiores urbes? ubi ferocior populus, ubi juventus belli cupidior, ubi robustiores milites, ubi duces prudentiores? Semper armata Germania est, semper indomita, semper victrix; aptissima profecto quae Turcorum ferociae opponatur. Quod ultimo loco magnopere suadent, & invitant exempla majorum, qui res clarissimas pro Christi nomine gesserunt. Namque cum nobilissimi sitis majores vestros imitari debetis, Carolos, Pipinos, Henricos, Ottones, Fridericos, Conrados, qui non solum Germanias, Gallias, atque Hispanias; sed Hungariam, Graeciam, atque Asiam victoribus cum exercitibus percurrerunt. Quod si alii non essent, unus vos excitare, & commovere satis deberet victor ille ac triumphator Carolus, qui ob magnitudinem rerum gestarum magni cognomen adeptus est. Vester ille, vester Theutonicus fuit, & sua gloria vestra est. Nec propter hoc clarissimis Franciae regibus quicquam detraximus; sua cuique servata

haus est. Illi ex Carolo orti sunt, vos Carolum genuistis. Unus igitur Carolus & Francos & Germanos, commovere debet. Agite igitur Theutones, expergiscimini, sumite animum, excutite periculum quod ante omnes vestrae imminet nationi. Cumque facile copias vestras in hostes ducere possitis, nec vobis desunt robustissimi, & munitissimi exercitus; & dignitas imperii quod tenetis hoc expostulet, & progenitorum vestrorum ingentia facta vos invitent. Audete tandem, & quod inter vos saepe cogitatum tractatumque est, in opus educite. Nihil habet natura vestra majus, quam ut possitis; nihil melius quam ut velitis christianae reipublicae cum honore Dei & vestro consulere, & prodesse quamplurimis, quod in hoc bello contra Turcos gerendo facile praestare potestis. Nec plura de prima parte. De secunda hoc est de virtute Friderici Caesaris paucissima subjungemus. Non quod ipsi diminute loquuti sitis; sed quod indigna res fuerit in ejus laudes nos silere. Qui cum celebrari ab omnibus debeat: praecipue tamen praeconia nostra meretur Fridericus imperator Judicio nostro felix est; nam Deum timet, diligit, & colit, & potestatem suam maxime ad Dei cultum dilatandum exercet; juste imperat, tarde judicat: facile ignoscit, vindictam ex malefactoribus pro necessitate reipublicae tuendae, non pro saturandis inimicitiarum odiis exercet; veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulget. Si quid aspere cogitur aliquando decernere, misericordiae lenitate, & eleemosinarum largitate compensat. Luxuria tanto in eo castigatior est, quanto posset esse liberior; mavult cupiditatibus suis, quam quibuslibet gentibus imperare. Inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extollitur; sed hominem se esse meminit. Pro peccatis suis sacrificia Deo suo immolare non negligit; in omnes benignus & clemens. Qui cum talis sit, non veremur Augustini testimonio felicem appellare in hac vita per spem, & in alia reipsa futurum;

ORA-

ORATORIBUS

Regis Castellae.

Ex Lucensi Codice.

Claritudo sanguinis & morum elegantia singularisque virtus, charissimi in Christo filii nostri Henrici Legionis & Castellae regis illustris cum anno jam revoluto hoc ipso templo nobis & apostolicae sedi suo nomine praestaretur, (a) pluribus verbis recensita & explicata fuit. Etnunc vos, praestabiles oratores ejus, his de rebus verba fecistis abunde. Non est cur immoremur, nec de nostris meritis loquamur, quae scimus quam tenuia sint; quamvis sermone vestro supra modum magnificata.

(a) Addendum *obedientia.*

Ad id transeundum est quod vestrum ad nos adventum coegit, hoc est defensio catholicae & apostolicae fidei; haec quanto in periculo sit, & a vobis plane dictum est, & omnes intelligunt. Sed possumus illud Sallustianum subjungere: *Omnes agnoscunt, & nemo succurrit*. Rursusque cum propheta conqueri: *Quoniam tribulatio est, & non est qui adjuvet*. Hinc Turci occupata Graecia, Rascia subacta, Valachis magna ex parte oppressis, infesta in Hungariam signa inferunt. Inde Saraceni Beticae promontoriis & nobilibus agris petiti vicinas circa Hispaniam vexant. Christiani principes inter se potius armis contendunt quam hostibus fidei resistere velint. Alii cupidine dominandi vicinos domo pellunt: alii ne pellantur obsistunt, & omnes pluris suas faciunt injurias quam Jesu Christi. Omnes privatis rebus intenti sunt: publica negliguntur; quidam vero desides solis incumbunt aut deliciis, aut voluptatibus, Dei nostri & religionis christianae prorsus obliti, propter quod licet cum psalmista dicere: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque* ad

ad unum. Nos cum videremus imminens fidei discrimen, & impendens reipublicae malum, relicta propria sede, non sine corporali gravamine Mantuam *petivimus* (*b*); quae ibi gesta sunt omnes novere. Magna spes fuit res christianas ad portum salutis conduci posse; sed filius iniquitatis non dormit, circuit, quaerens quem devoret: antiquus serpens membris suo auxilio est, inveteratus dierum malorum cuncta pervertere nititur quae pro Dei honore parantur. Sed confidimus victurum Christum, Mahumetisque cornua tandem minutatim confringi. Supra firmam petram fundata est Christi Ecclesia; flant venti, sed non diruunt aedificium; naviculam Petri fluctus involvunt, sed non submergunt. Vineam Domini Sabaoth ferae silvarum invadunt; sed non vindemiant, quia promisit Dominus futurum se nobiscum usque ad consummationem saeculi. Non deerunt ecclesiae Salvatoris, qui arma in hostes sumant; & quamvis torpent multi reges, excitabit tamen corda eorum cum voluerit Dominus, qui etiam ossa carnibus nuda iterum vestire potest, & spiritum reponere unde exivit. Inter caeteros vero charissimum filium regem vestrum non deserturum fidem, in qua natus est, confidimus. Qui & in Mantua magnifice sese obtulit, & nunc quoque se offert. Audiemus vos suo nomine seorsum & plane .... desideria sua, & consilia postulataque cognoscemus, justisque optatis nullo modo deerimus.

(*b*) f. *petivimus*.

AD

AD ORATORES

Regis Hungariae.

Hristiani reges & principes, etsi omnes a Romana Ecclesia honorandi confovendique sunt, praecipuo tamen favore dignus est charissimus in Christo filius noster Matthias Hungariae, Dalmatiae, & Croatiae rex illustris, qui nobis & Apostolicae Sedi per oratores suos, ut audivistis, obedientiam praestitit, & assumptioni nostrae magnificis verbis congratulatus est. Nam & regni ejus, & patris sui, & ipsius pro fide catholica ingentia extant merita. *Ex Lucensi Codice.*

Regnum Hungariae nobilissimum ac latissimum jam annos supra LXX. bellis assiduis cum gente Turcorum pro catholica religione decertans scutum fidei christianae ad orientem se praebuit, & ut divinae pietati placuit, nunc vicit, nunc succubuit. Sigismundus Albertus & Matthias ipse, qui modo regnat, infestissimi Turcis fuere. Pater regis Joannes Huniades rei familiaris peritissimus saepe cum Amurate, hujus qui modo Turcis imperat Mahumetis parente, pro christiani nominis gloria, quam Turci conculcare nituntur, varia fortuna dimicavit. Et quamvis aliquando succubuerit, nunquam tamen incruentam hostibus victoriam reliquit. Postremo apud Albam Graecam, paulo antequam vita excederet, ad confluentes Savum & Danubium Mahumetem ipsum ingenti bellorum apparatu magnisque copiis confidentem, & fastu barbarico christianis omnibus minitantem praelio aggressus, fregit, vicit, fudit, adeoque contrivit, ut qui paulo ante Christi legem subvertere se jactabat, vitae suae dubius in patriam festinus aufugerit. Qua victoria non est dubium quin pro magno tempore clausa fuerit Turcis in christianos porta. Ipse vero Matthias adolescens ad regnum vocatus, patri similis, mox curam

ram tutandae religionis accepit, transeuntesque Dravum Turcos, & iterum christianam plebem vexare audentes, armis vicit ac delevit, eaque suae virtutis experimenta praebuit, ut patris aequatus gloriam proculdubio videatur. Dignus profecto quem sancta Sedes Apostolica benigno favore prosequatur. Quod nos quidem cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus minime negligemus. Et sane, ut regno Hungariae magnis contrito cladibus consuleremus, conventum apud Mantuam indiximus; ibi ut cum principibus christianis consilia captantes, laborantibus Hungaris subveniremus. Eo nunc pergimus; conabimur quantum in nobis erit, ne vel Hungari vel caeteri christiani Turcorum armis opprimantur. Circa vero intestinas divisiones, quas apud Hungaros, & alios vigere intelligimus, si nobis auscultabitur, opportuna remedia non omittentes. Neque enim propositi nostri est, ut exteris gentibus obviam ituri, ab his qui intus sunt christiani vulnerari pacem unionemve permittamus.

ORA-

ORATORIBUS

Portugalliae.

OMnes ferme, qui nos adeunt obedientiam exhibituri, illud in primis agunt, ut pro suo captu Romanam Sedem, & nos in ea sedentes mirificis extollant praeconiis. Exinde principem, a quo missi sunt, collaudare non negligunt. Hoc ipsum & hodie factum est per oratores charissimi in Christo filii nostri Alphonsi Portugalliae, & Algarbii regis illustris fatemur, quamvis magnifice laudata est Apostolica Sedes, eam tamen ad verum usque laudari non posse Nam quae divina dispositione super omnes cathedras erecta est, humana satis voce & humano ingenio magnificari nequit. Hoc solium Salvator Dominus suo sacravit ore; in eo B. Petrus Apostolorum princeps primus sedit; in eo supra xxx. martyres & confessores sanctissimi admodum multi claruerunt. Ab eo quicquid hodie christianitatis est Salvatoris fidei sacramenta suscepit. Huic aperiendi claudendique Coeli potestas data est. Quapropter, etsi multa praeclare de hoc sublimi solio ab oratoribus regiis dicta sunt; superat tamen omnes laudes ipsa veritas. Quod nobis attributum est, fatemur, verum excedit; neque enim nos sumus, quibus tot praeconia adscribenda siat. Noscimus nos ipsos, & juxta Graecum oraculum judicamus, & cur tantum sublimati simus non intelligimus. Scimus tamen pium atque optimum Deum nihil perperam facere, placereque suae divinitati, ut quae ab eo fiunt, sua esse opera omnes noscant; atque idcirco ex infima plebe viros in sublime tolli, & pastoribus regnum, & piscatoribus pontificium saepius committi, elegit enim divina providentia nonnunquam infirma hujus mundi ut fortia quaeque con-

Ex Lucensi Codice.

sun-

fundat. Fortasse & hoc de nobis placuit, qui rudes ingenio, genere ignobiles, divitiis inopes, ad primum sedem vocati sumus. Quod si clarus & potens quispiam in hoc suffectus fuisset, poterat humanum magis opus quam divinum videri. Utcumque sit, coelestem misericordiam imploramus ne nobis desit; sed ipse qui navi suae nos praefecit, virtutem praebeat, qua clavum recte teneamus, & adversus ipsos Turcos arma ministret. Quae vero in laudem Alphonsi perpulchre relata sunt, vera esse fatemur; quamvis longe majora dici potuissent. Nobilissima est Alphonsi familia, & omnibus christianis conjuncta regibus, nullus in ea nascitur non valens ingenio. Multa ab his regibus gesta sunt praelia, & in Europa & in Africa digna memoria. Cepta diebus nostris urbs nobilis in Mauritania ab ejus armis capta est: multae & magnae Saracenorum copiae a Portugallensibus praelio deletae sunt. Qui nunc regno potitur Alphonsus multa vi animi & corporis nulli cedit progenitorum suorum, belli domique clarus habetur. Provinciales eum quasi numen quoddam habent, jus reddit omnibus aequum, sua largitur, aliena non appetit; illud in eo memorabile, qui etsi ultimus est christianorum, quos Turcorum arma pertingere possunt, primus tamen omnium de retundenda illorum ferocia cogitat, & corpus suum praedecessori nostro Callisto in expeditionem ab eo meditatam obtulit; nec defuisset uti par est credere, si reliqui principes concurrissent. Quae nunc spondeat ipsi audivistis. Verba ejus animum nostrum mirifice confortant. Laudamus hunc regem, obedientiam ejus laeto complectimur animo, mentem ejus haud aliam esse confidimus, quam oratores ejus affirmavere. Dignus est hic princeps, quem S. Sedes Apostolica singularibus favoribus prosequatur, neque id nos cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus quoquo modo negligemus.

ORA-

ORATORIBUS

Aragonum & Siciliae Regis.

Pius & misericors Deus inscrutabili consilio suo, quo cuncta gubernat, non nostris meritis, quae sunt tenuissima & exigua ad B Petri cathedram, fidelium omnium magistram, nos elegit. Non tumescimus, sed magis contremiscimus huc evocati. Scimus enim quam impares sumus commisso muneri, & ne nostro sub regimine cymba procellis quassata gravibus pereat admodum timemus. Scimus tamen obnoxios esse reges & principes nobis assistere, & pronis animis obedire; non personam nostram, sed eum animo volventes, cujus gerimus vices: quod cum abunde faciat carissimus in Christo filius noster Joannes Aragonum, Siciliae, ac Navariae rex illustris, non possumus excellentem ejus virtutem non laudare, quae profecto nobilitati & claritudini sui sanguinis quadrat. Genus suum ex domo Castellae ductum ab ipsis Gothorum regibus ortum est. Huic pater Ferdinandus fuit, cujus memoriam cuncti Aragonenses illustrem habent. Frater ejus germanus Alfonsus, qui superiori anno mortem obiit, regnum Siciliae citra Farum armis quaesivit, eaque belli ac domi facinora edidit, ut apud historicos nomen indelebile sit adeptus. Petrus & Henricus reliqui fratres, alter apud Neapolim dum praeclaram expugnat urbem ictu lapidis; alter in Hispania fortissime pugnans occubuere: digni ambo quorum nomina celebrentur. Ipse quoque Joannes ex tam nobili familia superstes quamplurimis interfuit bellis; terra marique & in Italia atque Hispania res clarissimas gessit, sive pacis, sive belli tempora fuerint, principem & magnanimum & justissimum se exhibuit. Ob quas res ut primum Alfonsi mors audita est,

Ex Lucensi Codice.

provinciales & in Sicilia, & in Aragonia, & in Valentia, & in Sardinia, & in Cathalonia, & in reliquis dominiis summo omnium conventu sese ei subjecere, atque ab eo (ut fama est) moderatissime reguntur. Is nunc per oratores suos insignes & graves viros obedientiam more majorum nobis & Apostolicae Sedi liberam & omnimodam exhibet. Facit quod suum est, & nihilominus Ecclesiam Romanam grandi honore cumulat, cui tanti principis obedientia decori est: Nam si reges orbis metiamur, & subditorum vires, urbium splendorem, provinciarum latitudinem, opes, animosque pensitemus, hunc proculdubio regem inter primores collocare non dubitabimus. Acceptissima est igitur nobis hujus principis reverentia & devotio; quae nobis offert in expeditione contra Turcos, non sine voluptate animi audivimus atque complectimur. Confidimus non minora faciet quam promittit; arma, equi, naves, homines, pecuniae ei abunde suppetunt: haec illi Deus dedit; nisi pro Dei honore utatur divinam voluntatem contra se provocaverit. Sed non est hic rex qui aliud in ore, aliud in corde gerat. Spem nobis ingentem promissa ejus praebent. Oramus coeleste numen incolumem eum nobis servet, & animum ejus in hoc proposito corroboret. Nos cum venerabilibus nostris S. R. E. Cardinalibus, hunc excellentem & pium regem favore singulari & gratiis [quoad possumus] prosequi non postponemus.

ORA-

ORATORIBUS

Francorum Regis.

PLacuit audivisse orationem vestram, regii oratores. Idem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & universae concioni accidisse non dubitamus, sicut ex attentione omnium advertimus. Neque ab re; fuit enim ornatissima & singularem orationem praeseiulit, & quod est in primis expetibile suavissime pronuntiata est. Responsuri, non attingemus omnes partes, sed eas tantum quae potiores visae sunt; neque servabimus ordinem vestrum, sed pro nostro arbitrio procedemus. Quinque sunt quae responso indigere videntur. Primum respicit personam nostram; alterum sedem in qua sedemus; tertium regni Siciliae dispositionem: quartum regis vestri merita: quintum ac postremum expeditionem contra Turcos. Erimus in respondendo breves, ne plenas aures dulcissimis & ornatissimis verbis inepta oratione nostra fastidio afficiamus. *Ex Lucensi Codice.*

Laudastis personam nostram pluribus modis, & quae tenuissima sunt in nobis, ut maxima viderentur effecistis. Non extollitur cum laudatur conscium parvitatis suae pectus. Augustinus in praeclaro volumine de civitate Dei, Salvatorem Dominum idcirco rudes & infimi generis sibi discipulos accivisse testatur, ut in eis ipse esset, qui mirabilia operaretur. Et fortasse nos humiles & indigni ad hoc fastigium divinitus sumus erecti, quia aliquid per nos utile publico divina pietas operari vult, & id vult suum videri, ut erit, quantum in ministerio nostro dignum & laudabile fiet. Nos enim nihil sumus, & nihil est quod a nobis sperandum sit, nisi pius Dominus in nobis bonum semen seminaverit, irrigaverit & incrementum dederit. Romanam autem Ecclesiam, Apo-

ſtolicam Sedem, B. Petri cathedram primum in terris thronum a vobis laudari aequo animo ferimus. Multa prudenter & ornate & erudite de Jeſu Chriſti vicariatu loquuti eſtis, quae delectabile fuit ab ore diſerto audiviſſe. Verum tanta eſt hujus Apoſtolicae Sedis excellentia, tanta gloria, tanta majeſtas, ut celebrari pro meritis ore humano non poſſit. Neque enim mortali voce extolli ſatis poteſt quod ab immortali Deo inſtitutum laudatumque eſt. Romanam Sedem, hoc eſt ſolium, in quo ſedemus indigni, non reges aut imperatores, non populi aut civitates, non particulares synodi aut concilia generalia, non pontificum conſtitutiones aut patrum decreta; ſed ipſa Salvatoris Chriſti vox, ipſum Dei noſtri oraculum erexit, & primum omnium eſſe conſtituit, dicens B. Petro aeternae vitae clavigero: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram aedificabo Eccleſiam meam, & portae inferi non praevalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni coelorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in coelo*, & reliqua; per quae apoſtolorum principi poteſtas ſumma data colligitur a Chriſto Domino. A Chriſto igitur Deo & homine fundata eſt; & in ſublime poſita divinitus eſt Romani praeſulis auctoritas. At quem Chriſtum nominamus, quem Deum fundatorem noſtrae poteſtatis adducimus? Chriſtum equidem quem ſancti prophetae annuntiaverunt redemptorem orbis eſſe venturum, quem Joannes Baptiſta digito demonſtravit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Quem SS. Apoſtoli, SS. Evangeliſtae, SS. martyres Filium Dei unigenitum, verum Deo Patri conſubſtantialem praedicaverunt, natum ex Maria Virgine, pro noſtra redemptione paſſum, mortuum ac ſepultum, & tertia die victorem mortis, diſpoliato inferno reſurrexiſſe, & denique triumphantem in Coelo aſcendiſſe, ubi ad dexteram Patris ſedet, cujus divinitatem & alia quaeque miracula oſtenderunt. Nam coecis viſum, ſurdis auditum, mutis eloquium, claudis ambulationem, & quod maximum extitit, mortuis etiam vitam reſtituit. Ventis imperavit & mari, ac ſe naturae dominum non in vita ſolum, verum etiam in ipſa mor-

morte ostendit; elementorum & syderum & lapidum naturam quotiens. Cujus salutarem legem totus orbis complexus est. Vix enim gleba ulla sub coelo est, in qua non aliquando Christus verus Deus & verus homo praedicatus acceptusve fuerit.

Ab hoc igitur Christo, ab hoc principe, ab hoc Deo vero & singulari, sancta Sedes Apostolica instituta & erecta est, & primatum super omnes gentes, & super universa regna suscepit. Haec fons, & origo est dignitatum omnium, haec mater studiorum, haec bonarum artium altrix, haec magistra vitae, haec norma disciplinae, haec mortalium regula: haec fidem docet, mores instruit, errores corrigit, vitia punit, virtutes praemiat, extollit bonos, deprimit malos, viam vitae aperit, mortis aditum claudit. Haec est arca Noe, extra quam salvari nemo potest regnante diluvio. Hic est hortus conclusus & fons signatus, de quo scaturiunt aquae vivae, quae saliunt in vitam aeternam: hic est locus quem Dominus elegit; hic summus sacerdos est, cui qui non paruerit, morte multatur: huic sedi prima & summa potestas credita est: nam pascendi oves officium ejus est, judicandi auctoritas, quam siquis docentem corripientemve quoquo modo contempserit, habendus est ut ethnicus & publicanus: alienus est, profanus est, anathema est, qui Romanam Ecclesiam renuit cognoscere matrem; qualis proculdubio est quicumque lege sua statuit ne hoc vel illud Romano pontifici liceat in suo regno mandare & praecepta ejus cassa esse velit. Et quis tu homo es, qui haec agis? Unde tibi haec auctoritas? Profer testimonium si potes ex sacro codice? An hoc secundum Evangelium est vivere? Minime quidem. Christus in Evangelio Petro dicit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Coelo.* Et tu ais papae, qui successor Petri est: cave ne hoc liges, ne hoc solvas. Nescis miser quod Romanum praesulem divina tantum auctoritas ligat? Sacrae tantum Scripturae subjectus est papa, quae Dei digito revelata est; decretis mortalium non tenetur: at rationi subjectus est & potestas Ecclesiae in aedificationem non in destructio-

ctionem data fatetur. At non propterea tu Judex Romani praesulis es, qui errare eum arbitraris; judicium de ipso soli Deo servatum est; culpas suas mortalium nemo arguere potest. En quam erronea nonnullorum sententia est. In regem nihil subdito licere volunt; in papam volunt, cujus potestas a Deo est super omnes potestates collata. Neque advertunt parum pensi habentes, quoniam sancta Sedes Apostolica a B. Petro in hanc usque diem nunquam audita est dogmatizare quicquam, quod ab orthodoxa fide sit alienum. Habet enim hoc privilegium a Domino, ut pravis dogmatibus nunquam succumbat; quia *portae inferi non praevalent adversus eam*. Haec ad eam partem dixisse satis sit, in qua Sedem Apostolicam laudastis. Nunc ad eum locum transeundum est, in quo de regno Siciliae mentionem fecistis. Sinuimus in hac parte pro nostra mansuetudine vos loqui quaecumque voluistis; & quamvis nos carpere videremini, ignoscendum tamen vobis, & regi vestro putavimus, tanquam de rebus gestis parum instructis. Nos nihil credimus factum esse a nobis reprehensione dignum; quod si erravimus cum consilio fratrum erravimus; cuncti enim Cardinales, nullo dempto, ut faceremus quae fecimus, consuluerunt suaseruntque. Insuper sequuti sumus iter quod Eugenius, quod Nicolaus, quod Callistus antecessores nostri tenuerunt; annuimus precibus totius Italiae nobis pro Ferdinando supplicantis. Nam dux Mediolani, Veneti, Florentini, dux Mutinae id ex nobis petiere quod fecimus. Stabat Italiae foedus in idipsum urgens, regnum ei contulimus quod possidebat; & quem regnicolae omnes acceperant regem, & fidem ei jurejurando permiserant. Eum in regno confirmavimus, quem pater possessor & a praedecessoribus nostris habens titulum, instituerat successorem, quamvis non legitimum, auctoritate tamen apostolica legitimatum. Erat praeterea nobis pax necessaria: ita status Ecclesiae requirebat, ita conditiones temporum exposcebant. Nam quomodo intendere ad res fidei contra Turcos poteramus domestico impliciti bello? Urgebat Jacobus Picininus, Assisium, Nuceriam, Gualdumque occupans, ingensque bellum Eccle-

Vide Responsum datum legatis Renati regis & ad illud notas.

clesiae minitans, nisi Ferdinandum regem declararemus. Quo insuper modo decebat nos arma capere pro regno alieno, cum ille qui suum esse diceret, domi quiesceret? At misit, dicitis; misit quidem episcopum Massiliensem cum verbis; nos factis egebamus, quibus magna pars patrimonii B. Petri adempta erat. Cumque tot tantaeque rationes urgerent, Ferdinando regnum concedere; nihil tamen egimus in praejudicium cujuspiam; jura unicuique sua servata sunt; agant juris via si qui sunt, qui se indigna pati arbitrantur. Nos recti judicii partes tenebimus. Nec plura de tertia parte orationis vestrae.

Nunc quartam aggrediamur, in qua regem vestrum & inclitam Francorum domum ingentibus praeconiis extulistis. Fatemur veras esse laudes; regem ipsum pium, benignum, religionis amantem, justitiae cultorem, pacis cupidum, sobrietatisque & modestiae parentem, & divina quadam virtute praeditum; cujus prudentiam regni tranquillitas ostendit, & amissorum recuperatio dominiorum. Progenitores ejus ornare laudibus in praesentiarum frustra fuerit, quorum praeconia veteres historiae celebrant. Vulgata est orbe toto Francorum fama, quorum inclita gesta etiam pueri cantant; orientales populi omnes ferme qui se adeunt ex occidenti Francos vocitant. Fecerunt hoc Francorum regum expeditiones, qui pro Hierosolyma recuperanda ingentes saepe copias eo ductarunt, & omnem Bithiniam, Troadem, Pisidiam, Ciliciam, Armeniam, Capadociam, Syriam atque Aegyptum conculcarunt. Gloriosa est Francorum domus & digna quam S. Sedes Apostolica magnifaciat: siquidem ejus auxilio freta magnas saepe calamitates evasit. Sed neque S. Sedes ei ingrata fuit, quae ipsos ornavit imperio, & beneficia etiam beneficiis magna maximis recompensavit. Quod nunc, more vetusto & praesenti, nos honorat rex ipse, & Vicarium Jesu in persona nostra recognoscit, & suam Apostolicae Sedi obedientiam exhibet, implet quod sui erat officii & suo debito facit satis. Nam Pontifici Romano tanquam Christi vices gerenti omnes reges, omnes populi sua debent colla submittere. Laudamus & devotionem & religionem tanti principis, quam dignis prosequi favoribus haec S. Sedes non negliget. SE-

SEQUENTIS ORATIONIS

Argumentum.

Britannicam legationem a Maclovienſi Epiſcopo geſtam in Mantuano Concilio Pius excepit, favitque venientibus oratione hac, in qua Britonum ſinceram, nulla vitiatam peregrinorum dogmatum *faece religionem extollit. Quibus tacite Galli ſuggillantur, ex pertinaci pragmaticae ſanctioni adhaeſione apud Pium de religione ſuſpecti.*

ORA-

ORATORIBUS

Ducis Britanniae.

Britones hodie Romanae Sedi, nobisque praestant obedientiam, genus acre virûm nobilitate ac virtute excellens. Non omnes norunt qui sint & unde venerint; id nunc a nobis explicandum est. Sic enim plus ponderis habere videbitur, quod in praesentiarum gestum est per vos insignes oratores dilecti filii nostri Joannis Britanniae ducis & nobilissimi & potentissimi. Britones populi Galliae sunt inter Guasconiam & Normandiam ad Oceanum siti, quae loca Veneti quondam tenuerunt, ex quorum nomine civitas usque in praesentem diem non ignobilis extat, Venetensis appellata, quae olim tantae potentiae fuit, ut iter Julii Caesaris in Britanniam remorari atque interrumpere conata sit, quamvis frustra; victa est tandem classe Caesaris & armis. Ab hac gente putat Strabo noster, Venetos terra marique potentissimos, qui sinum maris Adriatici incolunt, factis & fama clarissimos ortum ducere, & genus esse Gallorum; sicut Insubres, Cenomanos, Bosos, & alios, a quibus magna Italiae pars & ipse AEsis Cisalpina Gallia dicta est. Alii Venetos ab Enetis vocatos & ex Paphlagonia in Italiam Antenore duce profectos arbitrantur. Sed in tanta vetustate satis est ostendisse conjecturam. Britones autem insulam oceani coluerunt, quam nostri Britanniam, nonnulli Graecorum Albion vocavere, & alterum pene orbem esse crediderunt, priusquam Caesaris armis quaesita & edomita cognosceretur. Appellati sunt Britones, ut eorum tradunt historiae, a Bruto quodam, qui deleto Ilio, toto profugus pelago, navigio tandem in hanc insulam appulit; & eam primus excolens a se nominavit, cui posteri usque ad Julium intacti manserunt. Et quamvis

vis tunc & postea Romanae potentiae ac virtuti cessérunt, non tamen insulam amiserunt, cum Romani tributo contenti nihil amplius exigerent, ac languente republica Romana cum Britones descivissent, & inter se dissiderent, & nunc Pictones, nunc Scoti, nunc alii barbari insulam vexarent, Saxones in auxilium vocati sicut Beda refert, cum insulae opulentiam cognovissent, non solum hostes, sed eos quoque quibus auxilium praestaturi venerant armis ejecerant, & cum ipsi ex angulo Saxoniae egressi sese Anglos & insulam Angliam usque in hoc aevum vocari voluerunt. Britones autem, fortunae cedentes, in Galliam confugere; & Venetorum, ut diximus, sedes tenuere, in quibus invicti usque in hanc diem perseverant, & dulci libertate fruuntur. Viri fortes & armorum & literarum periti, quos diu ante Dodoneum, qui primus ex Francorum regibus fidei lumen sumpsisse fertur, Christianae religionis sacramentis initiatos perhibent. Hi, postquam semel Romanae sedis matris suae uberà suxerunt, & lac divinae legis bibere didicerunt, nunquam apostatarunt, nunquam matri recalcitrarunt, nunquam peregrina dogmata imbuerunt, nunquam alienos Scripturae sensus sequuti, ut plerique qui omni doctrinae vento agitantur. Solida & stabilis & verax est Britonorum natio, & sicut modo monstratum est, sine fictione suis superioribus & fidelis & obsequens. Laudamus igitur hoc genus hominum, & ducem vestrum, oratores insignes, summo dignum honore censemus, qui non solum more majorum obedientiam & reverentiam primae sedi exhibet; sed pro nostro desiderio adversus Turcos consilia & auxilia pollicetur. Magnificamus hunc principem, qui quamvis securissimus & ab omni Turcorum invasione, nec sibi timere habet, tanto terrarum spatio disjunctus, hostem tamen fidei horret, & aliorum saluti consulere praesto est. Deus optimus hanc suam pietatem & religionem, ut non dubitamus, dignis praemiis consequetur. Nos certe cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus nobilitati suae suorumque commoditati semper studiosi erimus ac propitii.

SE-

SEQUENTIS RESPONSIONIS

Argumentum.

PHilippus Burgundiae Dux legationem duplicem ad Pium misit; alteram dum Pontifex Senas venisset, Mantuam perrecturus teste Gobelino comment. lib. II. pag. 47. aliam vero cum Mantuanus conventus ageretur, ut ex eodem lib. III. pag. 65. Priori illi cujus fuit princeps Joannes Episcopus Atrebatensis, hac oratione respondit Pius. Alteri quid pontifex reposuerit indicat Gobelinus ibid.; scribit enim laudatum ab eo ducem, & Joannem Clivensem ducem qui legationem illam gerebat. De his Clivensis laudibus nihil in hac oratione; in qua totus est pontifex in exornando miris laudibus duce Burgundiae.

ORATORIBUS

Ducis Burgundiae.

COnversa in nos hodie circumstantium ora plus solito cernimus, majora, ut arbitramur, audire sperant quam dicere consuevimus. Exposcunt idipsum merita dilecti filii nostri Philippi Burgundiae ducis, qui hodie nobis obedientiam praestat. Nam cum principes alios superioribus diebus non mediocriter laudaverimus, quis non intelligit admirabilem & superexcellentem principem admirabili quodam & superexcellenti genere laudum dignum esse? Sed non sunt vires nostrae quae vel expectationi vestrae satisfacere, vel praeconia tanti ducis explicare queant. Imitandus est nobis pictor ille, qui cum in Hectoris funeret tristem supra modum figurasset Andromachen, restaret que mater Hecuba infelix vultu pingenda moestiori, nec haberet, quod adderet, obvoluto capite matrem effinxit, ut quod artificio deerat inspicientium suppleret cogitatio. Et nos igitur pari modo sub involucro quodam Philippi laudes ante ora vestra ponemus; longe plus cogitationi vestrae, quam nostro confidentes ingenio. Super Lucam inquit Ambrosius. ***Plenam laudationem esse quae genus, mores officium, factum judiciumque comprehendit.*** Sequamur & nos hanc sententiam ac de genere primum dicamus. Docet etiam scriptura divina non solum mores, sed parentes quoque oportere laudari, eorum qui praedicabiles sunt. Sed quis Philippi genus satis explicet? Si Galliam inspicimus, nulla est illustris familia quae sanguinem ejus non recognoscat. Ipsa Francorum prosapia, toto memorabilis orbe, Philippum ex se natum fatetur. Si percurrimus Germaniam; in Bavaria, in Austria, in Saxonia sanguinem ejus reperiemus. Hispaniae reges & Angliae se sibi conjunctos

esse

esse gloriantur; progenitores ejus clara nitent fama, nec nostris egent praeconiis. Apud historicos late celebres, fragrantia suorum morum Europam omnem perfudit. Laudant omnes ejus in adeundo facilitatem, liberalitatem, clementiam; nullam ei virtutem deesse referunt ex his quae regiae nuncupantur. Sed neque officium ejus summa laude caret. Ducale ei in plures provincias populosas & opulentas traditum est divinitus imperium. Nemo mediocrem aliquem principem animo volvat, cum Burgundiae ducem nominari audit. Princeps hic potentissimus est, & magnis regibus *impar* (a). Burgundia per se lata & dives provincia est, & olim regnum fuit. Huic accedit provincia Brabantia. Piccardia, Campania, Flandria, Olandia, Selandia, Frixia, & aliae terrae nobiles. Verum bona haec fortunae gentiles dixere. Nos fortunae nihil esse censemus, sed cuncta Dei nutu geri & in coelo & in terra profitemur. Parum tamen laudis in regnorum gloria ponimus, nisi regna ipsa recte gubernentur. Quae res ad factum & judicium pertinent, quae duo restant absolvenda. Ducitur Philippi laus ex facto pluribus modis. Coactus est pro tutela subditorum saepius arma capere. Bella memorabilia gessit, stravit hostes, oppida rebellantia vicit, victis veniam praebuit, regnum suum egregie defendit, adversus impios Turcos auxilium saepe nostris praedecessoribus transmisit, validas classes armavit, copias instruxit, pecunias suppeditavit, laborantes per orientem christianos magnis aluit sumptibus; in divisionibus, quae catholicam plebem nostro tempore vexaverunt, a Romana Ecclesia nunquam recessit; facta ejus & homines probant omnes, & in conspectu digna sunt laude. Judicium ejus aequum esse, ipsa subditorum tranquillitas ostendit; neque enim sine recto judicio diuturna gaudere pace populis datur. *Justitia & pax*, inquit propheta, *osculatae sunt*; tanquam altera sine altera esse non possit. Et si magno credimus Oratori, sine justitia nulla res publica stare potest. Cum ergo tot provincias sub Philippo quam diutissime pacatas viderimus; fatendum est rectum & sanctum ejus fuisse judicium; atque ita per omnia principem esse, cui B. Ambro-

(a) f. *non impar*.

 bro-

brosius absolutam laudem concedere posset. Haec nos breviter & involute de tanti principis praestantia diximus. Vos etsi longe majora putabitis, non tamen ad verum usque pertingetis. Superat enim virtus ejus non solum verba, sed etiam cogitatus. Praeterimus quae a legatis ejus in nostram relata sunt laudem, imperfectionis & ignorantiae nostrae conscii. Quae circa rem Turcorum ab his dicta sunt, probamus omnia; faciemus quantum permissum est nobis, idque facturum ducem confidimus; nunquam tamen, aut nos aut ipse conabimur quantum par fuerit. Vellemus tamen, qui nobis & eidem duci animus est, eumdem caeteris esse. Sentiret hostis Christi non contemnendum esse Evangelium. Deus pro sua misericordia Christiano populo propitius adsit. Nos ducis obedientiam ac devotionem dignam laude censemus, nec vel sibi, vel suis nunquam pro suo aut commodo aut honore deerimus; idemque facturos venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales non dubitamus. Orationem coram nobis habitam a venerabili fratre nostro Episcopo Atrebatensi non extollimus sermone nostro; sua luce, suisque viribus, supra quam dicere possimus illustrem se praebuit & verborum ornatu & gravitate sententiarum & suavitate pronunciationis.

ORA-

ORATORIBUS

D. Archiepiscopi Treverensis.

Subjectam esse omnem animam sublimioribus potestatibus Apostoli Pauli auctoritas est. Digna vox quae divinis concluderetur eloquiis, & quae damnatam illorum exterminaret insaniam, qui Romanae Sedis eminentiam primatumque negant. Ordinata sunt quae Deum auctorem habent; ubi ordo, ibi ad unum omnia referuntur. In apibus unus est rex: grues unam sequuntur; elephantes suo parent duci; animalia rationis expertia servare ordinem norunt; & homo confusioni subjacebit? Gentes hic error occupet, quae Deum ignorant. In Ecclesia, quae Dei opus est, & una est sponsa Domini, columba candida, incorrupta, sine macula, unus est princeps & unum caput, a quo cuncta derivantur: cumque *militia sit vita hominis super terram*, teste Job, nihil aliud Ecclesia nostra est quam Christi exercitus. Militant omnes homines, sed non omnes Deo. In Ecclesia tantum catholica militia salutaris invenitur. In hac pro suis militibus Christus Dominus & imperator mortem obiit. Codro melior Atheniensi quem tantopere Graeci laudant. Melior Deciis quos Romani miris efferunt laudibus. Reliquit tamen Christus vicarium suum Petrum, cui collatis clavibus regni coelestis exercitus sui curam commisit; & quamvis caeteri Apostoli pari consortio praediti essent honoris & potestatis, ut Cypriani verbis utamur: principatus tamen & dignitatis altitudo, & auctoritatis plenitudo penes Petrum inventa est, dicente Domino: *Pasce oves meas, & tibi dabo claves regni Coelorum, &c.* propter quae discipuli ejus veluti ducem magistrumque habuere. Ab hoc Petro per varios multiplicesque succes-

sores

sotes ad nos usque tanti muneris auctoritas & majestas derivata est. Scimus quanto inferiores sumus honore nobis credito, & imperfectum nostrum non ignoramus, nec sine tremore in tam sublimi sedemus solio; verum ita placuit ei, qui de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus & solium gloriae teneat. Qualescumque sumus, etsi Petri meritum non habemus, locum ejus tamen tenemus, & in ea cathedra collocati sumus, cum qua omnis qui non colligit dispergit. Hic incorrupta patrum servatur auctoritas; hic inscissa Domini tunica custoditur; hic fons vivus emanat; hic hortus conclusus habetur; hic est arca Noe, extra quam salvari nemo potest. Caveant alii principes, qui suo sensu leges contendunt, & Apostolicae Sedi innectere nituntur habenas: leges aliis princeps dare, non accipere consuevit. Quicumque principi se opponit altare adversus altare erigit, exercitum exercitui, & castra castris opponit. Sed una tantum, ut diximus, Ecclesia, unus princeps, unum corpus: *unus spiritus*, inquit Apostolus, *& una spes vocationis nostrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma*. Vae homini per quem haec unitas violatur. Observantissima in castris veterum disciplina fuit, ne quis tentorium figeret a praetorio tam remotè, ut exaudire sonum tubae non posset; contra facere capitale habebatur. Idem & noster Salvator in Evangelio praecepit, inter ethnicos & publicanos collocans qui vocem Ecclesiae non audirent. Quales omnes sunt qui Romani pontificis jussionibus adversantur. Haec dilectus filius noster Joannes electus Treverensis & Romani elector imperii evitare cupiens, per vos hodie, praestabiles oratores suos, una cum germano suo Metensis Episcopi coadiutore debitam nobis & Apostolicae Sedi obedientiam praestat. Carissima est nobis hujus praelati fidelitas ac devotio, qui quanto nobilior est ac dignior, tanto summissius sese gerit. Novimus genitorem ejus, insignem pietate virum Jacobum nomine; novimus & Carolum germanum, cui soror imperatoris nupta est, incorruptae fidei principem. Bernardi quoque alterius germani suavissima conversatione usi fuimus, qui nuper Genua domum

mum repetens, morbo tactus in via, non sine op n'one sanctitatis excessit e vita. Nobilissima est haec Badensium Marchionum familia, in qua & Germanorum imperatorius, & Gallorum regius sanguis invenitur. Joannis quoque claritatem auget Treverensis Ecclesia, cui praeest, vetusta atque insignis. Sunt qui arbitrantur ab Atreba Nini filio Treverim conditam esse mille trecentis annis ante Romam. Apud Cornelium Tacitum invenimus circa affectionem Germanicae originis ultro ambitiosos fuisse, tanquam per hanc gloriam sanguis a similitudine Gallorum separarentur. Sed nulla major gloria est Treverorum, quam quod primi Galliarum ad cognitionem veri Dei & Christianae fidei sacramenta per Rusticum & Eleutherium B. Petri discipulos baptizati pervenerunt. Ab his nos hodie obedientiam recepimus. AEqua res est ut obedientibus filiis benigni simus, quod erga Ecclesiam ipsam Joannemque ac fratres, amicos & subditos suos haudquaquam negligere animus est.

AD

AD ORATORES

Ducis Sabaudiae.

Quotiens nova principum affertur obedientia, totiens de primae sedis auctoritate summaque potestate dicere aliquid necessitas ingruit. Quod nequaquam nostrae laudis causa, sed divini nominis gloria facimus. Quidquid etiam de Romana Sede profertur, totum Christi est Salvatoris nostri, qui eam beatorum Apostolorum suorum Petri & Pauli martyrio consecravit. In nobis nihil est quod magnificare possimus. Etsi verbis vestris, praestabiles oratores, supra modum collaudati sumus, nihil est in nobis quod admirari quispiam, aut venerari queat; nisi quod in eo solio collocati sumus, quod est omnium primum ac maximum; quod cur factum sit nec scimus, neque investigamus quidem, quia non est divini consilii humana ratio capax. Satis est Deum optimum atque maximum ita constituisse, qui saepe infima hujus mundi eligit ut fortia quaeque confundat; qui Moysen populo suo ducem dedit, qui sacerdotem summum Aaron ordinavit, qui David regem ex gregibus assumpsit. Ille nos Christianae praefecit Ecclesiae, & B. Petri navigium gubernare mandavit, quia non est alius veteris testamenti Deus, alius novi; qui per prophetas loquutus est consolator spiritus; idem Apostolorum inflammavit pectora, & linguis omnium loqui dedit. In veteri lege sancta & individua Trinitas per legiferum Moysen juxta dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem. In nova vero eadem Trinitas benignius egit, cujus imperio incarnatus Dei Filius viam vitae manifestius demonstravit, & animam suam pro suis ovibus ponere non dubitavit. Is autem rediturus in coelum, ne gregem

ſuum invaderent lupi rapaces, vices ſuas B: Petro commiſit, dicens: *Paſce oves meas, & tibi dabo claves regni Celorum, &c.*, per quae ei ſumma poteſtas credita deſignatur. Quod Petro, idem & ſucceſſoribus traditum eſt, & ad nos uſque tantae dignitatis auctoritas derivata, qui etſi meritis longe inferiores dignoſcimur eſſe, quam Petrus, poteſtate tamen pares ſumus. Et quamvis contremiſcimus, peccatis obnoxii, hunc tam ſublimem locum aſcendiſſe; fatemur tamen ſalvari non poſſe, & diaboli eſſe mancipium, qui juſſionibus noſtris ſecundum ſacros canones emanantibus temere ac pertinaciter adverſatur. Ad quam rem accomodari poſſunt verba ſanctiſſimi viri Ignatii, qui B. Joannis evangeliſtae auditor fuit. Sic enim ait: *Principes ſubditi eſtote Caeſari, milites principibus, diaconi praesbyteris, presbyteri vero & diaconi ſimul cum omni populo & militibus atque principibus, ſed & Caeſar obediat Epiſcopo; Epiſcopus vero Chriſto, ſicut Chriſtus Patri, & ita unitas per omnia conſervetur.* Quae cum ita ſint, audent tamen aliqui Apoſtolicae Sedis mandata contemnere & tanquam majus ſit aliquid tribunal ab ejus juſſionibus provocare, non advertentes quia prima ſedes non judicatur a quoquam, & quod morte dignus eſt, qui ſummi ſacerdotis imperio non paret. Evangelium quippe corrumpit, & inconſutilem Chriſti tunicam & ſponſam ejus lacerat Eccleſiam, qui capitis ſui, hoc eſt Romani praeſulis decreta contemnit. Una eſt caro Domini Jeſu in Cruce ſuſpenſa, & unus ejus ſanguis, qui pro nobis effuſus; unus eſt panis pro omnibus confractus, & unus calix totius Eccleſiae, & unus Epiſcopus; nam & unus eſt ingenitus Deus Pater, & unus unigenitus Filius Deus, Verbum & homo, & unus Paraclitus Spiritus veritatis. Una etiam praedicatio & fides una, & unum baptiſma. Si una Eccleſia eſt, quam fundaverunt SS. Apoſtoli a fine uſque ad fines in ſanguine Chriſti propriis ſudoribus ac laboribus, & in ea unus Epiſcopus, cui parere omnes oportet, atque hic Romanus, quod nemo Chriſtianus inficiari poteſt; quis non intelligit apud Sedem Apoſtolicam ſalutis portam eſſe quaerendam

dam, & omnes ad gehennam aedificare, qui suis utentes sensibus Romanas sanctiones evadere atque divellere nituntur? Novit haec dilectus filius noster Ludovicus Sabaudiae dux, potentia clarus & genere, qui vulgatam progenitorum suorum incedens viam, ac debitam nobis & Apostolicae Sedi obedientiam exhibens, mandatis nostris obtemperaturum & boni filii officium repromittit. Praepotens hic princeps est; & latissimis regionibus imperat; majores ejus ex sanguine Saxonum orti. Saxones quidam auctores ex Macedonibus originem ducere tradunt. Francorum & Burgundorum nobilitas Sabaudiensi familiae mixta est; huic claritudini & mores optimi juncti sunt. Est enim Ludovicus mansuetissimus princeps, aditu facilis, religionis cultor, justitiae tenax, & servantissimus aequi. Laudamus devotionem & pietatem ejus; quae nobis offert, & praecipue in expeditione contra Turcos, quam tantopere probat, gratissimo complectimur animo: multum enim in ea re conferri potest, nec dubitamus quin opere compleat, quod verbis pollicetur. Nos ac venerabiles fratres nostri S R. E. Cardinales cum personam suam, tum illustrem prosapiam ejus, ac praecipue nobilissimam sobolem, & omnes sibi caros singularibus favoribus atque honoribus prosequimur. Reliqua, quae semotis arbitris relaturi estis, benigne & gratanter audiemus.

FINIS.